

ANTONII DE HAEN

S. C. R. A. MAJESTATIS
CONSILIARII, ET ARCHIATRI,
MEDICINÆ IN HAC ALMA ET ANTIQUISSIMA
UNIVERSITATE PROFESSORIS PRIMARII,
PLURIUM ERUDIT. SOCIETAT. SOCII

PARS DECIMAQUARTA

RATIONIS MEDENDI

IN NOSOCOMIO PRACTICO
Quod in gratiam, & emolumentum
Medicinæ Studiosorum condidit

MARIA THERESIA
AUGUSTISSIMA ROMANORUM
IMPERATRIX
HUNG. BOHEM. &c. REGINA &c. &c.



LUCÆ MDCCLXXVI.

Typis JACOBI JUSTI
SUPERIORUM PERMISSU.

PRÆFATIO.



VOluminis hujus XIV. Operis annui insolita plane materies erit, medica tamen, & nisi me animus fallit, tam Patriæ, quam Medicinæ, utilissima. Ut autem quæ ad Medicinam spectant, præmittam; Volumina meo pleraque Medici laudibus resonuerunt, cui parem ars nostra neque hucusque vidit, neque ut videat quondam, sperare multum potest; incomparabilis scilicet Hippocratis Coi; quem quarto ante Æram Christianum sæculo florentem, ab illo tempore, in nostros usque dies, & Medici omnes, & Viri alii autoritate, sapientia, religione, dignitateque conspicui, iis laudibus, quibus alium Mortalium neminem, extulerunt. Id Medicos fecisse, millena ab ipsis conscripta volumina testantur: id cæteros præclaros Viros, dum vel Religionem, vel Historiam, scriptis exornarent, quoque fecisse, cum notum plerisque sit, unicum Meldensem Antistitem e pluribus selegisse sufficiat, Jacobum Benignum Bossuet, quem virum nominasse, laudasse est, sic de Hippocrate scribentem: „ Inter summos „ Philosophos recensendus Hippocrates, Medicinæ „ Pater, aureis illis Græciæ temporibus inter me-

 cta

„ *dios magnos Philosophos eminens.* „ * *Ubique ego Opera, Virumque, canebam, quibus Medicina redacta in Doctrinæ Corpus, quibus promota, quibus conservata, inque sua & dignitate, & splendore, grataque mortalibus beneficentia, unice servanda esset. Quod enim utile, quod certum, quodque præclarum, Medicina haberet,* Hippocrati *id, ut autori, ut parenti, merito referendum esse: & quidquid aut emolumenti, aut incrementi, ab illius tempore in nostros dies usque, Arti accessisset, id Viri immortalis Lucubrationibus, atque sapientissimis Præceptis, omne deberi; indefessoque eorundem studio Medicinam ad illam dignitatem, ad illum, quo jam fulgeat, conscendisse splendorem, palam testatus ubique fui. Atque hæc olim.*

Jam vero e contrario tam Hippocratis, *quam præclarorum, qui Medicinam vere illustrarunt, Virorum, & infirmitatem ostendo, & incertitudinem monstro, & curtam Artis plango suppellectilem. Habebit tamen & hoc insigne emolumentum. Ut enim Medicinæ præstantiam, nobilitatemque, docere debeo Tirones, ita quoque eorum interest arctos cognoscere, quibus circumdetur, termineturque, cancellos: quo demum quid vel posset illa, vel non posset; quidque sperare ejus auxilio, ægrisque promittere* debe-

* *On peut compter parmi les plus grands Philosophes* Hippocrate, *le Pere de la Medecine, qui eclata au milieu des Autres, (Socrate, Platon, Zenon, &c.) dans ces heureux tems de la Grece.* Hist. univ. *pag. mihi 73.*

deberent; perspicue intelligant. Et, ut cum Hippocrate *omnia verbo dicam, Artificis periti est, non minus Artis suæ angustias nosse, quam amplitudinem.*

In secunda sectione horrendus ipso nomine morbus, terrifica Pestis, me totum occupat. Cur autem hanc in me provinciam susceperim, priore ejusdem capite expono; quo tamen quorundam in me ob hoc ipsum stomachum præoccupem, paucis dicam: Furit Lues vicinis in Regnis, Patriæ jugulo imminet, necem incolis minatur. Patri, ac Matri Patriæ, semper Augustis, diu noctuque ingens volvitur, anxiaque in animo cura, ut quomodocumque hanc plagam finibus averruncent suis; eoque, cujuscumque & ordinis & dignitatis sint Subditi, unita collineant opera, ipsis mens est. Hinc Sacer Clerus ad Altissimi prostratus pedes, hoc Coeli flagellum, nubes scindente voce, deprecatur. Hinc bellipotens Miles murum explicata acie præstat, infectas arcentem res, hominesque. Hinc ubique providus vicinarum urbium Senatus severa, atque inviolabili Lege, habenas Commercii moderatur, ne cum mercimoniis letum emamus. Quid porro ego hic? Num ab Augusta eo munere gratiose honoratus, ut sibi Medicos in mea Schola adaptem, qui præterquam quod communibus Mortalium calamitatibus probe medeantur, etiam Pestilentiæ cognoscendæ, sistendæ, curandæque, sapientia valentes, veros Machaones Podalyriosque *præstarent, officio huic deesse possim? Itaque de Peste erant instruendi. Verum enimvero, frequenter data in Lectionibus occasione, & semel biennio abhinc decurso*

de illa ex professo, quod ajunt, differens, duo maxime dolui: alterum quod in tota Bibliotheca Medica non extaret Autor, qui completum, cunctæque Pestilitatis speciei accomodatum opus, quo duce uterentur, adornasset; alterum quod ea, quæ me docente didicerant, numerosa adeo essent, ut recondi memoria, quantumvis felici, atque tenaci, minime possent. Effecit demum & hæc considerantia, & tetræ Luis cum incrementum, tum proximitas, ut pristinos in illam peractos labores refundens, universamque Bibliothecam Medicam sedulo revolvens, Pestis cognoscendæ curandæque tutiora ac certiora principia quærerem. Verum quo labor ad hæc mihi comparanda intensior erat, eo quoque graviore difficultatum pondere crevit. Animis fleti tamen, & hinc bonum Civem præstandi voluntate, illinc stimulantem Conscientiam compescendi desiderio, officium Civis boni, & Professoris religiosi, si non explevi, explere saltem conatus sum. Acceptiorque, ni fallor, quem exantlavi, labor iis erit, qui norint me docendo, medendoque prægravatum, multam Lucubrationum fuliginem bibere debuisse, antequam arduum adeo negotium perficere potuerim.

Termino Præfationem, claros omnes per Europam *Viros precando primum, ne mihi utibilium atque commodorum Reipublicæ Virorum sortem invideant: me enim conspiciunt, nil nisi Medicinæ commoda, incrementaque, spirantem accusationibus impetitum confictis, diris maculatum calumniis, diffamantibus laceratum libellis, ingratorumque quorundam Discipulorum petulantia expositum: ita quippe cum fru-*

ctuosis

ctuosis Reipublicæ Civibus agere stolidum vulgus solet, sed hoc ipso indicio ab inutilium turba internoscendis. Est proinde grate ferendum, quod ipsorum ingratiis majorem Proborum existimationem conciliat nobis, majoremque decorem. Secundo rogo eosdem præclaros Viros, ut mirari desinant, quod adeo ignominiatus, publicæ Potestatis majestatem, autoritatemque, non invocem; cum primo tunc Titivillitia illa pervolvenda mihi essent, quæ sancte profiteor me neque legisse unquam, neque lecturum esse. Quid enim jucundam meam animi tranquillitatem hisce turbem? Deinde ipsa hæc invocatio Potestatis publicæ aut vafris illis libellorum fictoribus, aut, qui eos legerint, idiotis, dubium moveret, an ne ridiculus illorum furor mihi reapse detrimento foret? Atque nihil profecto minus ego censeo, neque arbitrantur omnes Boni. Unde potius & Publicam invoco, & Divinam potestatem, ut utraque illis crimen condonet; HÆC vero eorundem malevolum animum, in benevolum, in honestum, in Christianum, miserata transformet.



SECTIO I.

CAPUT PRIMUM.

De iis, quæ in Med. nonnunquam improvisa contingunt, ac consuetis legibus contraria.

§. I. Hippocratis *Laudes, non modo ob æternas, quas condidit, Medicinæ leges, dignitatemque, ad quam illam evexit; verum etiam ob demonstratas illius & defectus, & angustias. Quid inde discendum sit. Recensetur Aphorismus ejus* 19. *Sect.* 2. *qui deinde per omnia sectionis capita explicatur.*

§. II. *Morbus juvenis hanc veritatem docens.*

§. III. *Anatome eandem confirmans.*

§. IV. *Conclusio utriusque.*

§. V. VI. VII. *Altera Historia morbi idem docens, Anatome confirmans, ejusque sequela.*

§. VIII. IX. *Historia tertia cum Anatome.*

§. X. *Similitudo Historiæ secundæ tertiæque; qua occasione sex Problemata proponuntur & solvuntur.*

§. XI. XII. XII. *Quarta Historia cum ejus & Anatome & Discussione pathologica; Aphorismum haud secus, quam tres priores, confirmans.*

§. XIV. XV. XVI. *Historia quinta per omnia mirabilis, morbi, mortis, cadaveris; qua veritatis, in Aphorismo propositæ, demonstratio convincentior haberi vix potest.*

§. I.

§. I.


Luribus annui Operis mei Tomis, in Medicæ Artis principiorum certitudine demonſtranda frequens ſæpe, longuſque fui; & eo quidem uſque, ut illa ceterarum Artium, Diſciplinarumque, nulli vel minimum cedere, ſive præceptorum perſpicuitate, ſive, principiorum certitudine, debere videretur. Aſſeverabat hoc jam ante XXIII. Sæcula illa ipſe, qui in ſua Æſculapiadæa Familia decimus & nonus Medicus, tot eximiorum Prædeceſſorum præceptis dives, obſervatis Templa Divorum ornantibus ditior, Adnotationibus demum tum propriis, iiſdemque innumeris, tum Filiorum, Generi, Diſcipulorumque, quos, ad examinandam traditorum præceptorum veritatem, alia in Regna immiſerat, ditiſſimus, Corpus Medicinæ immutabile, quamdiu Natura rerum immutabilis manebit, condidit, conſcripſit, poſteritati ne dicam, an æternitati, conſecravit, *Hippocrates Cous*. Idem confirmaverunt Viri artis præſtantia immortales, *Hollerius*, *Ballonius*, *Mercatus*, *Jacotius*, *Duretus*, *P. Alpinus*, *Sydenhamus*, *Baglivius*, & quotquot præter hos honorem in Medicina, famamque meruerunt. Compendio uti hic liceat ingentis *Boerhaavii*, genuini *Hippocratis* filii, verbis, ex oratione habita *Leydæ* anno 1721. cui titulus *de commendando ſtudio Hippocratico*: „ En vobis Adverſariorum theſaurum! En modum adquirendæ ſapientiæ medicæ verum! Hæc felicia Artis fata! Hæc fortunata tempora! Quum unus atque idem ſapientiſſimus tot Artificum peritorum opera uteretur! Quam omnium Coryphæus tot labores, tot experimenta aliorum ſuis perficiens, in corpus redigeret ordinatum! Eant jam, qui ignorantia afflati,

„ vel

„ vel invidia, tanto viro obtrectant. Comparetur il-
„ li, quem volunt; quam dispar erit ratio? Alii quid
„ unius; hic, quid plurium industria valeat, exhibet:
„ aliis suis modo vident oculis, hic multorum usus est
„ acie: cæteri per singulos ægros, hic per eorum a-
„ gmina experimenta fecit: pauci quid intra arcta u-
„ nius urbis pomeria morbi sit, tradiderunt; ille, quæ
„ in tot vicos, urbes, regiones, & regna, lues graf-
„ saretur, observabat.

„ Hanc ego causam, cur minus alios huic pares
„ statuamus, inprimis magnam puto. Profecto sapien-
„ tia artis major longe in illo fuit, qui tantis ad Me-
„ dicinam auxiliis usus est, quam in reliquis, qui,
„ quamvis cetera æquales, his destituti fuerunt. Atque
„ inde natam arbitror eorum, quæ scripsit æternitatem;
„ hinc ortam puto illorum, quæ viginti trium sæcu-
„ lorum examen sustinuerunt, integritatem. Evolva-
„ tur illorum ordo, mutata *Hippocraticæ* veritatis fa-
„ cies nullibi apparebit. Excutite *Grajos*, cognoscite
„ *Romanos*, versate *Arabes*; repetitam atque confirma-
„ tam ubique invenietis doctrinam *Hippocratis*.

Profecto nihil unquam hac veritate clarius demonstravit sæculorum evolutio, nihil testatius reliquit. *Hippocrati* fuerunt Adversarii multi, cum viventi, tum vita dudum functo: *Asclepias* ejusque tota schola; *Galenus*, quando *Hippocratis*, oblitus, *Aristotelis* in scholam transivit; *Celsus* in multis; *Cælius Aurelianus*, Afer, juratus ejus, ac vaferrimus hostis: at vero fumo citius evanuerunt hæc omnia, quando toties ad *Hippocratis* præcepta, tanquam ad *Apollinis* oraculum, Medici coacti, vel illum, nomine ejus laudibusque suppressis sequebantur, ut *Aretæus Cappadox*; vel meritis elatum encomiis, solum exclamabant dignum esse quem legerent, quem diurna versarent, nocturnaque manu; quem unicum, quo certior esset, tutaque Praxis, sequerentur. Ubi autem post & *Galeni*, & *Ara-*

bum haud paucorum, servitutem, Medicina a Græcis, *Byzantio* Thracum in potestatem redacto profugis, Hippocratico iterum lumine illustrari cepit, vox Medicorum præcipuorum una fuit, qui præcipuum, qui solum, sequatur *Hippocratem*, eum unicum esse, qui tuto medeatur. Eodemque modo post Chemicorum tyrannidem, post varium sectarum diversarum philosophandi morem, post nimium laudabilis ceterum Mechanices, Hydrostatices, Hydraulicesque, in Medicinam invectum usum, semper a principibus Medicis recursum ad *Hippocratem*, fuit, quo labantem fulcirent, restaurarentque Praxin: sic quidem ut illi, qui fallacibus inventis seducti, hunc Medicorum principem spernere audent, jam futuram suæ novitatis sortem augurari possint, certoque prævidere, fore demum ut, sive ipsi, sive eorum, quos seduxerint, quam plurimi, doctrinarum fatigati fallacia, infortuniorum pondere pressi, deque interfecta plebe, novarum opinionum passim victima, mœsti, ac fere desperabundi, *Hippocratem* de integro arripiant, ducemque sequantur.

Quæ cum ita se habeant, jure merito mea opera immensas hujus viri laudes perpetuo resonare, Lectores capiunt, eumque ducem in explicanda Medicina & sequi me, & dare Auditoribus, sponte laudabunt.

At vero utilitatem aliam præterea *Hippocratis* præcepta afferunt nobis. Ut illinc ampla Artis pomeria ostendunt, ita hinc arctos docent, qui coerceant illam, circumscribantque, Cancellos; ne quid nimis: nec non insolitos sive Naturæ, sive Morborum, errores, qui haud perraro seducant medentem: eamque docent animi candorem, ingenuitatem, salutisque humanæ amorem, ut si ejusmodi Naturæ, Morborumve errores, aliquando imposuerint nobis, pandere illos, cunctorumque in notitiem prodere, non erubescamus: quo tandem haud modo ipsi nos, sed moniti per nos, eorundem deinceps præsagi, vel prævideant illos, vel prævertant.

Que-

Quemadmodum itaque per omnia opuſcula mea proſequutus rem hanc utramque ſum, priorem autem magis; ita nunc poſteriorem demonſtrare animus eſt: non minus priore poſteriorem Medentibus profuturam ratus.

Ac primum quidem *Hippocratis* Aphoriſmi Sect. 2. n. 19. oſtendam veritatem; Τῶν ὀξέων νȣσημάτων, ȣ̉ πάμπαν ασφαλέες αἱ προδιαγορέυσιες ȣ̉τε τȣ̃ θανάτȣ, ȣ̉τετῆς ὑγείης. „ Morborum acutorum præſagia, ſeu prædictiones, non ſunt, ſi ſtricte loqui velimus, omnino, citrave omnem exceptionem, tutæ, „ ſive eæ mortis fuerint, ſive ſanitatis. Explicuerat Autor Aphoriſmi luculenter in omnium Aphoriſmorum ſuorum primo, hoc vel ab Artis longitudine, ſeu ab ea ejus amplitudine, ut eidem addiſcendæ plurimorum vita vix ſufficiat, pendere; vel ab experiundi difficultate, quæ aut deſiderata, aut illicita ſæpe ſit; vel a rapida calvæ occaſionis præcipitantia, qua fulminis inſtar prætereat occaſio agendi; vel neglectu, inobedientia, tergiverſatione, erroribuſque ſive Medici, ſive ægrotantis, ſive adſtantium, miniſtrorumque; vel denique a Cæli mutatis tempeſtatibus.

§. II. Explicare idem memorabili Hiſtoria conabor. Juvenis 22. annos natus, Textor, qui Variolas & Morbillos infans paſſus, atque illibata poſtmodum valetudine gaviſus, acuta Febre 14. dierum ſpatio, 20. ætatis anno, laboraverat; ab eo vero tempore ſanitate perquam integra floruerat; incidit demum 26. Ian. 1770. ex ebrietate in Peripneumoniam; cujus citra vel minimum Artis auxilium, quartum diem agens, in Noſocomium noſtrum illatus eſt.

Peripneumonia principio vehemens, cum ſicca tuſſi, eaque tam violenta, ut caput ſibi diſſilire pluries acerbeque æger conquereretur, poſt iteratam quater Phlebotomiam, rariore cum tuſſi, emendatioreque reſpiratione, continuabat; die autem ſexto propemodum finito,

to, dolor gravis mediam superioris Ventris partem, Præcordia nunc, nunc Epigastrium vocant, occupare cœpit, se paulatim in Ventris inferiora diffudit, vomitumque in quartam repetivit usque vicem. Hic dolor vix XV. horas furens, septem cum dimidia horas silens, & Morbi die septimo, duas sui tertias emenso partes, recrudescens, ad emollientia remedia in os immissa, injecta in Rectum, Ventrique admota, conticuit, nec rediit; continuavit nihilominus Vomitus, accessitque Asphuxia horis ante mortem duodecim, quæ die octavo medio contigit.

Sanguis de Vena quater, quantitate Libræ medicæ singula vice missus, crusta inflammatoria tegebatur, densa quidem duraque, alio autem atque alio tempore duriore, & crassiore. Urinæ perpetuo malæ: solito enim coloratiores omnes, aut suspensa enæoremata gesserunt, aut caruere contentis. Alvus quarto morbi die ab enemate mota bis, eaque naturalis, ac multa: die quinto spontanea, ac naturalis: die sexto naturalis cetera quidem, sed cinerei coloris. Die septimo prima alvus a clysmate scybala eduxit, altera copiosam pultem, gryseo fuscam; similem tertia, sed paucam, quam violentia vomitus in lectum expressit: quinta, & sexta, in excipulum reddita est, non mista, prior ex flavo virens, posterior æruginosa. Die tandem octava pauca atque fusca a clystere prodiit.

Pulsus vigente Inflammatione celer, subdurus, compressus: ea mitiore celer, plenus, mollisque; in ventris doloribus subdurus, iisdem autem conticescentibus præter celeritatem bonus; & quo tempore in Nosocomio fuit, semper æqualis. Die 7. tandem debilior percipiebatur, ac leviter remittens. Asphyxia tandem successit, in qua priore trihorio calor idem, qui prior, postmodum vero sensim minor, verum tandem frigus observabatur; una cum frequenti vomitu materiæ tenuis, turbidæ, flavedinemque, aut levem nonnunquam

refe-

referentis virorem. Media ante mortem hora leve delirium obſervabatur, convulſio, ac dentium ſtridor, quæ ſymptomata una cum vomitu in letum abierunt.

§. III. Horis a morte XXIII. elapſis, cum ob loci frigus, in quo repoſitum cadaver fuerat, ob artuum requiſitum in vere mortuo rigorem, & præcipue ob Corneæ cum opacæ, tum corrugatæ conſpectum, de vera morte certi eſſemus, aperuimus cadaver elegans & toroſum. Tumidum atque durum abdomen in morbo nunquam fuit, unde & naturale ac molle a morte. Omentum bene pingue tantum modo ſiniſtram texit ventris partem, idque ad inguen uſque; ita ut hic homo ibi ἐπιπλοκηλὴν potuiſſet pati, in dextro vero inguine minime: quantumcumque enim Epiploon in dextro latere evolveremus, infra umbilicum non extendimus.

Jecur ſub Coſtis ſiniſtris parum, ſub dextris multum, imo ad tres digitos latos uno in loco infra coſtas propendebat, lobo majore integrum Hypochondrium dextrum, minore mediam occupans ſiniſtri partem; cava ſuperficie, maxime pone veſiculam fellis, lividum. Hepatis hic ſitus ac moles, ſi in vita, quacumque de cauſa, tumidum redditum idem, durumque fuiſſet, vitium indicaſſet tangentibus; quod idem viſcus toties ſub coſtis reconditum, negat.

Coli Inteſtini traſverſa portio neque in flexu dextro, neque in ſiniſtro, altius conſcendit; hinc præ Hepatis cuncta explentis mole, illinc præ Ventriculi, Spleniſque amplitudine, medio in ventre ſub Ventriculo penitus deliteſcens. Sic ut in homine affectus, in Coli his flexibus hærens, non potuerit mentiri Pleuritidem.

Cœcum Inteſtinum, ac Colon, uſque ad flexum ſplenicum, levit erat inflammatum, anguſtum autem valde, uſque ad ſuum in Ileo oſſe decubitum; ex quo emergens, amplificabatur vehementer, binoſque altiores Flexus formans, deinde leviter inflammatum, in Rectum abivit.

Ventriculi oram superiorem totam inflammatio prehenderat, nec non Duodenum, portionemque Omenti illam, quæ Mesenterii vicem Duodeno Intestino supplet.

Jejunum Intestinum nihil, Ileum vero potiore sui parte vehementer, inflammatum erat; & quidem sic, ut una in plaga ruberrimi, in alia jam esset purpurei coloris; hic per omnem Intestini ambitum, ibi ad anteriorem, inferioremque, duntaxat partem.

Plagas aliquot inflammatas, Mesenterium habebat, pluresque Glandulas, pisum has, illas fabam, magnas, fuscas intus subnigrasve. Bonus Splen, & Renes.

Peritonæum autem & anterius, & laterale, & posterius, eaque etiam parte, qua Vesicam Urinariam contegit, dirissime inflammatum; Vesica vero sana. Plagas itidem inflammatas idem Peritonæum ostendit, ubi felleam Vesicam succingit.

Porro in toto abdomine, ex cunctis, quas Inflammatio invaserat, partibus, transudaverat inflammatoria materies; quæ aut spissior Intestina coagmentabat inter sese, aut liquidior effusi præbuit speciem pluris.

Boni Pulmones, liberi undique. Pallidum Cor, utroque in thalamo, in dextro tamen plus, sanguinem parte fluidum, parte polyposum gerens. Plus solito in Pericardio aquæ.

§. IV. Qui cum Anatome confert Morbi historiam, ubique haud mediocrem offendet explicandi difficultatem, consuetas utpote excedentem Naturæ leges. Si in Bibliotheca Medica adminicula ad exponendum quæsierit, casus quidem nonnullos in multis nostro non absimiles reperturus est, in pluribus vero admodum absimiles. Id vero, quod & ex antiquis omnibus, & ex recentioribus, colligi posset, totum, accuratissime relatum, atque observationibus multis, iisdemque æque præclaris, quam mirandis ornatum, invenitur in Libro magni *Morgagni de sed. & caus. Morb. Ep. XXXV.*

Ex

Ex omnibus hac Epistola relatis constat I. Inflammationem Intestinorum dari, adeo celerem, ut spatio aut trium dierum, aut duorum, aut unius, aut etiam dimidii, perimat hominem.

II. Eandem quidem crebro esse valida cum Febre conjunctam; at vero etiam non perraro cum aut exigua, aut prorsum nulla.

III. Fallacissimam hanc Inflammationem esse, eoquod ægrotum dolore demum carentem, ac reconvalescere visum, tandem, subitoque, necet.

IV. Attamen Inflammationem hanc non adesse, nisi cum Abdomine duro tumidoque.

V. Passim alvum in illa immobilem pertinaciter esse.

Ut porro hæc observata cum nostris conferamus, notamus I. tantam fuisse letalis morbi in ægro nostro celeritatem, ut a percepti doloris principio, ad mortem usque, dies duntaxat unicus, cum 18. & media horis intercesserit.

II. Febrem notavimus tempore inflammati Ventris non majorem fuisse, quam vigore Peripneumoniæ; prout & Pulsuum exacta observatio, & Thermometron, quod bis die admotum, binorum modo graduum, idque simplice vice tantum, augmentum indicavit, manifesto docuerunt.

III. Advertimus morbi fallaciam non minorem nostro in ægro adparuisse, quam in iis *Morgagni*; cum dolor prima die vix 15. horas duraverit, alteroque necdum dimidiam horam.

IV. Imo longe fallaciorem hunc morbum, quam in ægris *Morgagnianis* fuisse, eoquod nullum unquam ventris tumorem æger noster habuerit, nullam prorsus duritiem comitem.

V. Imposuisse autem præprimis nobis apertam ab ipso inflammatorii morbi Intestini principio alvum, quæ pertinaciter clausa soleat in illo esse.

Si

Si igitur inflammatio Intestinorum in Historia Medica reperiatur extra nonnullas consuetas Naturæ leges nonnunquam extitisse; quanto hac mirabiliorem ac singulariorem istam non existimabimus, contra leges Naturæ multo plures peccantem? Nisi Intestinorum inflammationem quis statuerit seriorem doloribus; brevibus itaque ante obitum horis ortam, juvenemque subito, ut in *Morgagnianis* est, internecioni dedisse; Peritonæi vero universi inflammationi, a metastasi peripneumonica ortæ; Pulmo enim in Cadavere inflammatus non apparuit; dolorum deberi originem.

Huic ita cogitanti quæ multa reponam vix video, nisi quod dolor quandam duntaxat ventris partem, quam æger constanter indicabat, occuparet, Peritonæo interim universo inflammatissimo. Sed ipsi responsio meæ consimilis in promptu erit, si mihi obiiciat, quamvis Ventriculi diram latamque inflammationem deprehenderimus, ægrotanti tamen dolorem illius vix octo horis solum, & vix quindecim horis cum Ventris sociatum doloribus observatum fuisse: hancque ipsam doloris absentiam non posse gangrænæ tribui, cum ea careret Ventriculus: adeoque Peritonæum videri habuisse potiorem partem, causamque doloris, nec tamen doluisse.

An igitur merito non pronunciavit *Hippocrates* Acutorum morborum Prædictiones sive mortis, sive sanitatis, haud omnino tutas esse? Maturius ejusdem examen id demonstrabit clarius. Ventriculi inflammationem docet duriore cum pulsu febris, docet loci dolor, docet vomitus mox ab acceptis præceps. Vomitus perpetuo adfuit, febris, durusque pulsus utcumque etiam; dolor vero non nisi principio vexavit, neque post quindecim horarum intervallum unquam rediit, & perseverante vomitu, & ut cadaver ostendit, inflammatione. Deinde Peritonæum totum quantum inflammatum, una cum pene integro Cæco, atque Colo Intestino,

una cum inflammato Ileo, Omentique ad Duodenum portione, cum Mesenterii denique, felleæque Vesiculæ parte, idque citra vel minimum sive Epigastrii, sive Hypogastrii, aut dolorem, aut duritatem, omnem videtur exsuperare eludereque, experientiam.

Expediret hic in Pathologicis exspatiari paulisper. Peritonæum in binis cadaveribus inflammatione occupatum illustris *Morgagnus* scripsit. Ejusdem inflammationem alibi ostendi. Ejusdemque universalissimam præsens Anatome exhibet. Ill. *Haller* arterias peritonæales a XXVII. originibus natas ostendit, *Tom. VI. Elem. Phys. Lib. XX.* §. *XIX.* Mirum proinde non est tam dire illud inflammari. Sed latius de hac re, post relatos alios casus.

§. V. Cementarius 32. ann. fortis adeo naturæ vir, ut quibus variis laborabat, incommoda, flocci faciens, duro labore corpus exerceret, pluribus tamen morbis impetitus, ac maxime novem antea annis sæva Pleuritide; in violentam adeo tussim inciderat, ut uxor illius, materque, ne dilaceraret pectus totum, subinde vererentur: utque posteriore vitæ anno, in lævum latus ægerrime, in dextrum haud facile, in dorso vero omnium commodissime, cubaret; crebro etiam ad graviorem laborem anhelaret: eo tamen robore natura præditus erat, ut eædem mulieres non recordarentur illum, post Pleuritidem, vel unicum diem unquam in lecto transegisse. Consuetudinis illi fuerat, singulis a curato morbo laterali annis, idque majali tempore, Phlebotomia; quam hæmorrhagia narium indubitato consequi solebat: hoc vero anno & illam neglexit, & hanc non habuit.

Die 7. Nov. 1769. Pleuroperipneumonia cum dolore in sinistro latere, eodem scilicet, quo ante novennium, corripitur. Alterius diei principio tunditur Vena illi. Tertio propemodum finito ad nos adfertur. Dolor lateris sævissimus, & eo die, & quarto, &

quin-

quinto. Inchoante autem die sexto dolor invasit medium pectus, brevique dein latus dextrum, sævitie, quam prius lævum, haud minore, & septimi diei tertia ferme elapsa parte, præcordia sola. Pulsus totis sex diebus celer valde, durus, magnusque idem, ac plenus, nunquam inæqualis, licet summæ inflammationis vis nos ad nonam Phlebotomiam, adeoque ad sanguinis Librarum medicarum novem cum dimidia, effusionem coegisset; sub initium septimi diei pulsus minus fortis, & vitæ ultimis XII. horis tandem leviter remittens, ac Myurus. Sanguis missus toties, semper quidem crustam tenacem densamque gessit, rubramque partem compactam, nunquam vero aut hanc compactiorem, aut densiorem tenacioremque illam, habuit, quam septimi diei principio in ultima venæ sectione: semipollicem enim ejus crusta æquabat: pauca modo sputa tussis violenta dabat, eaque fere semper haud tantum lineis sanguineis interspersa, sed sanguinea fere integra. Urinæ assiduo rubicundæ aut cum suspenso enæoremate, aut pertinaciter jumentosæ. Alvus nec cocta unquam, nec bene colorata, sub finem olentissima. Somnus rarus, nihil reficiens. Sudor gravans. Situs corporis sive in lectulo, sive in sedili, erectus, præ suffocatione, dolorumque in decubitu intolerabilitate. Interea excepto leviore rarioreque tribus postremis vitæ horis delirio, mens perpetuo præsens, per hasce fere continuas dierum vigilias.

§. VI. Horis XXIII. a morte decursis cadaver aperuimus, lege lata maturius quidem: verum hinc ex cadaverosa rigiditate, pellucidæ corneæ opacacitate, rugisque, nec non ex morbi natura, de vera morte certi; illinc putredinis ob singularem hyemis teporem, humiditatemque, præsagi, præcipitavimus Anatomen.

Corpus torosum in musculis, non pingue: Venter nonnihil tumidus.

Aperto abdomine, reflexisque penitus, quas in crucis formam diviseramus, partibus, nihil sub conspectum cadebat, nisi tenuia & crassa Intestina, & Hepatis crepido digiti latitudine infra costarum spuriarum cartilagines, descendens.

Omentum debitæ magnitudinis, mediocriter pingue, in medio tenue valde.

Color Intestinum amplissimum, maxime ad suum cum Cœco principium, & formans ibi ingentem dorsum versus, postque Jejunium Intestinum, saccum. Jejunum tumens. Gracile Ileum. In Intestinis autem, uti neque in Mesenterio, neque in Mesocolo, vel minima Inflammationis indicia.

Amplus adeo Ventriculus, ut Libras XI. aquæ caperet, locatus post Hepar, subterque illud, neque inflammati quid habens.

Vesicula fellea vacua; forte dudum, quod ne minima flavedine tingerentur vicinæ partes.

Aperto Thorace, ingens Pericardium apparuit, ad jugulum usque tumens, ibidemque firmissime connatum, cum Pleura autem sic tota sua longitudine concretum, ut separandum ab illa non nisi cultro fuerit. Crassum valde hoc Pericardium erat, phlogistica membrana interius cinctum, eadem sua superficie interna tota dire inflammatum.

Liquor turbidus atque subalbidus explebat Pericardii cavum, qui eductus siphone pondus IX. unciarum superabat: in cochleari imposita igni, crassam flavam materiem, lividiore avolante, reliquit.

Eadem pelle inflammatoria Cor vestitum fuit; qua ablata, priorem ejus faciem ingens inflammatio occupare apparebat, posteriorem autem minor. Sinister Ventriculus vacuus fere; dextri orificium grumosus sanguis explebat, polypi flavi principium, qui ex Arteria pulmonali extrahebatur, perquam ramosus.

Dex-

Dexter pulmo lobo inferiore toto, transsudantis materiæ phlogisticæ ope, cum pleura uniebatur: sinister & partim quidem eodem modo, & partim nova membranarum genitura, indissolubilem habuit cum pleura nexum. Dexter Pulmo tabe gangrænosa fere totus diffluxit; minus sinister: uterque autem superficie posteriore niger.

Hydrops crassus purulentus utriusque cameræ Thoracis, ei, qui Pericardii, similis, valde copiosus.

Pleura utroque Pectoris in latere præ inflammatione ruberrima; idque non ad costas duntaxat, verum etiam qua Diaphragma, potissimumque, quod illud tendineum est, convestit.

Puris haud modica collectio inter Mediastini Laminas prope thymum, ubi accretum Pericardium fuerat.

Cerebri Meninges naturales, Ventriculi superiores siccissimi. Plexus choroidei flava materia turgidi.

§. VII. Peracuto morbo ante VII. diei finem denati hominis inflammata reperitur Pericardii interna superficies, Cordisque externa: versi jam in Gangrænam Pulmones: Inflammata denique Pleura, non modo qua Costas, sed & qua Diaphragma, succingit. Cum Thoracis igitur, vitaliumque, quas recondit, partium, universalis pene inflammatio adesset, facile capimus, cur nonies missus sanguis, omniumque maxime postremus, perpetuo phlogisticæ fuerit tenacitatis: cur & pulsuum perpetua durities, & peracutæ continuatio Febris?

Exponendum nunc esset, quæ vitia corporis Pleuritis, a novem retro annis tolerata, genuisset; quæque acutus, quo perierit, morbus? ut aut temere nihil hic proferam, expediet paralelam historiam eo fine præmittere, ut forsitan altera alterius expositioni mutuam lucem ferat.

§. VIII. Famulus, cui Cellarum cura demandata, annum agens 30, qui neque Variolas, neque Morbiles,

billos, prout ipſe ex parte memorari potuerat, materque adhuc vivens teſtabatur, unquam paſſus erat, Cephalææ olim obnoxius quidem, jam vero, a decennio non ultra; intermittente quoque febre quondam crebro vexatus, nihil autem ultra a ſexennio; nunquam acutum morbum paſſus; nunquam incommoda pectoris, neque catarrhos graviores, diuturnioresve, neque narium, ſedisve, hæmorrhagias; verbo ea valetudine uſus, ut ipſi nunquam mittendus ſanguis fuerit; acute demum ægrotare cepit.

Die 29. Nov. 1770. inter 8. & 9. veſpertinam horam ſubito eum invaſit Pleuroperipneumonia. Miſſo bis ipſi ſanguine, antequam morbi primus elapſus dies eſſet, ſumtoque prioribus diebus, Emulſo, in Noſocomium noſtrum media quarta die elapſa inferebatur. In dies creverat morbus jam, crevitque deinceps in Noſocomio. Tuſſis in ſextum diem uſque vexabat, ſicca plerumque, & ſi quid prodiret, gluten plurimo cruore miſtum erat: poſt ſextum diem in decimum omnis tuſſis ſiluit, quodque ſemel biſve die ejiciebatur, nigro ſanguine & muco conflatum erat.

Homini inſtituta decies Phlebotomia eſt, cruſta denſa ſanguinem perpetuo tegente. Copia miſſi cruoris fuit Librarum novem cum dimidia: detractaque hæc omnis eſt, primis ſex cum dimidia diebus morbi. Pulſus cum inter Phlebotomias, tum poſt eadem, uſque ad diem decimum fere finitum, plenus fuit & fortis, & æqualis, cum celeritate multa. Reſpiratio perpetuo brevis, celeris, inæqualis, anheloſa, & ſub finem ſibiloſa ſæpæ. Migravitque a Thorace lævo dolor in dextrum, mitior in eo tamen, die inchoante octavo: utroque in latere nunc pauca, nunc major, die octavo medio: hujuſque ſub finem nullus ultra percipiebatur, ejus vero loco anxietatis, oppreſſioniſque pectoris, incrementum; exinde ad mortem uſque ſemel modo levem doloris perceptionem habuit.

Cum

Cum pulſu hoc bono ac forti, poſt tot Venæ ſectiones pleno, & æquali; cum pulſu, inquam, una celeritate culpando, coctio in alvo a 5. in 11. diem apparuit; quæ quippe modica non eſſet, & flava, & exceptis nonnullis tenuioribus, ac ſpumoſis, paſſim pultiformis. Urinæ perpetuo pravæ; rubicundiores enim paſſim erant, ſuſpenſumque enæorema, & in globum plus minus collectum, quod pravum admodum, gerebant. Die 10., nunquam critico, Criſis quædam fieri apparebat ex ſputis craſſioribus, albidioribuſque; tum & ex Lotio vario jumentoſo, arenoſo, unoque hypoſtatico. Septem ante obitum horis pulſus tandem debilior, & inæqualis, & cepit eſſe, & ſemihora ante mortem deficere. Ante finem Undecimi diei cum levi ac brevi convulſione obiit.

Conferentes obiter hunc morbum cum eo ægri præcedentis, nomine agnoſcimus eundem eſſe, ac pulſuum, urinarum, reſpirandi quoque difficultatis, ſputorumque penuriæ, ac pravitatis, doloris tandem ex ſiniſtro ad dextrum migrantis, atque nonnunquam latus utrumque occupantis comparatione, multam ſane contemplamur paritatem: Operæ precium eſt igitur cauſas morbi in poſterioris cadavere rimari, atque, num etiam cum cauſis morbi prioris conveniant, examinare.

§. IX. Die 12. Dec., horis a morte 36. elapſis, cadaver aperturi, deprehendimus oculos non corrugatos quidem, ſed opacos; rigoremque eſſe in artubus cadaverum.

Omentum integrum, ſic ut perfecte tegeret abdomen, excepto lævo inguine, ubi turgens admodum inteſtinum Colum de ſua illud ſede removerat. Ceterum non modo tegebat Omentum omnia, ſed & circumvolutum Inteſtinis, ex anterioribus ventris ad poſteriora tendebat: ita ut Hernia Omenti hic poſſibilis fuiſſet.

Inte-

Intestinum Colon octies flexum, in medio ventre diverticulum formaverat adeo amplum, ut a margine Hepatis usque ultra umbilicum cuncta impleret.

Hepar duos pollices latos in medio Epigastrio infra costas descendebat, ac lobo suo minore mediam sinistri lateris partem occupabat: ita quidem ut Hepatis vitia in hoc homine & infra costas tactui patuissent, & latus sinistrum quoque occupare potuissent. Cavum sinistrum Epigastrii ab Hepate vacuum, amplus Ventriculus explebat, hicque ingentem post se, dorsum versus, Splenem recondebat. Vesicula fellea bile vacua, nil nisi paucum liquidi, loturæ carnium similis, habuit.

Tenuia Intestina alba, Ilei vero portio, spithama longior, cum annexo suo Mesenterio inflammata erat.

In Thorace Pulmo dexter, colore in lividum vergens, partim liber, cohærens partim, non admodum fortiter tamen, cum Pleura infima, & Diaphragmate.

Pericardium ingens, tota sua superficie anteriore cum Pleura cohæsit; quo itidem modo Pulmo sinister, idque minore parte sero phlogistico coagulato, majore autem genitura forti membranea. Cæterum Pericardium crassum valde, cum substantia membranarum, tum sero coagulato, quod, crassioris membranæ in morem, internam illius superficiem contexit. Ablato vero eo, superficies hæc præ inflammatione intense rubuit.

Cor album visum, quod similis illud crusta tegeret; quo ablato carneum apparuit, solito forte pallidius.

Liquoris albi, tenui puri similis, unciæ septem cavum explebant Pericardium.

Ex sinu venoso dextro polypus grumosi sanguinis crassus, atque longus, de venis cavis extrahebatur: ex arteria pulmonali alter, crassus, cum figura Arteriæ divisionum: ex sinu venoso sinistro mollior polypus, crassusque idem, & ramosus: qui ex Aorta, longus

ille,

ille, durus, flavus ita, ut potiore parte coagulato sero constare videretur.

In auferendo Sterno purulentus locus apparuit in anteriore superficie Pericardii; neque in eo modo, sed in tota quoque & Pericardii, & Lobi inferioris Pulmonis lævi, ad dorsum, ejusque spinam usque, pus copiosum detinebatur; inter multas, fortesque productiones membraneas, quibus Pleura cum illis connota erat. Texit præterea factitia ex sero nata Membrana has omnes partes. Puris effluentis uncias propemodum quatuor ex singulo pectoris cavo eduximus; ex singulo, ajo, cum soluto Pulmonis dextri cum pleura coalitu pus effluxit quoque. Lobi porro inferioris Pulmonis sinistri substantia glabra fuit, extenuata omnino, non vero erosa. Postica pulmonis utriusque superficies ab inflammatione nigra fuit.

Deglubita factitia a Pleura Membrana, impleta, & rubro sanguine infarta vasa nudo oculo conspiciebantur, potissimum in Pleura dextri lateris.

In frontis dextro latere Cicatrix, & os ibi excavatum: nulla quidem ibi præternaturalis cum Dura matre cohæsio, sed paulo altius, aureum nummum magna. Dura Mater ceterum naturalis, Pia quidem sanguine plenior, in lobo autem posteriore admodum. In sinu longitudinali ingens polypus flavus, cum fortibus lateralibus ramis, de Venis Duræ matris extractis. Sinus duo superiores vacui, & sicci: tertius & quartus vix madidi erant. Substantia medullæ cerebri bona; ea cerebelli paulo siccior, nec fere arboream figuram transsciffa referebat.

§. X. Si in utriusque hujus ægri morbo multam mirati paritatem fuimus, majorem ea miramur in anatome. Ne Omenti integritatis amplissimæ, ne situs Jecinoris, ne Coli degeneris sacci, neve Bilis deficientis, similitudinem commemorem, quid ovo similius ovo, quam utriusque conditio Thoracis? Ingens in utroque

Peri-

Pericardium: puris in posteriore unciæ VII. in priore unciæ IX. cavum explentes Pericardii: ejusdem in utroque superficies interna, cum factitia membrana tecta, tum inflammata valde: Cor eadem purulenta coagulatione incrustatum, polypósque habens: Pulmo utriusque cum Pleura connexus, tam ope factitiæ membranæ, quam vinculi membranei; dorsoque niger uterque: Purulentus in amborum Thorace liquor: Pleura inflammata in utroque: Pus in Mediastino, ubi Pericardium cohærebat: Plexus Choroidei flavi, Ventriculi Cerebri, ac Cerebelli, vacui.

Similitudinem morbi utroque in ægro contemplati, commode valde hanc ex tanta partium in cadavere affectarum paritate explicamus; minus vero commode rationem dabimus præcipuorum, quæ exhibuit morbus uterque, phænomenum: agite tamen videamus.

1. Cur Respiratio utrique quidem mala fuit, priori tamen pejor?

R. Inflammatio Pulmonum, Laterumque, ad explicandum utriusque in respirando laborem, sufficit: quia autem prior, docente Anamnesi, pessima cum tussi, tum respiratione, novenis annis, a Pleuritide tunc tolerata, laboraverat, creditur laterum pulmonumque coalitum exinde habuisse, adeoque pejus altero respirasse, quod pulmo tot annis tussi conquassatus, & accretus Pleuræ, ad inflammationem tolerandam ineptior fuerit: de hac re mox latius.

2. Cur pauca utrique tussis posterioribus morbi diebus, sputaque cum paucissima, tum prava?

R. Morbi materies seu cruda, seu semicocta, seu etiam cocta, si intra cavum Vesicularum Bronchiorumque transsudasset, & tussim excitasset, & sputorum forma prodiisset; jam vero cum per pulmonis vias, adhuc patulas, in Cor sinistrum parte sui pervenisset, cum sanguine Aortæ & in arterias aut Cordis, aut Pericardii, aut utriusque, & in arterias Intercostales,

atque

atque Mesentericas pulsus, in Cavum Pericardii, & Pectoris, inque illud Intestinalis tubi, excrevit se. Hinc neque excitare tussim, neque sputa formare potuit.

3. Unde utrique in Pericardio, & Thorace, puri similis materies?

R. Ab exposita mox erronea Naturæ secretione. Liquet hinc haud ita laboriosas, tortuosasque vias, quærendas fuisse, ut Pleuritidis per sputa Crisin explicaremus. Constitit quippe Pus a Pulmone & a Pleura, citra sputa, urinariis, alvinisque viis, secerni, & excerni: Videmusque in hoc utroque casu a Pleura, & Pulmone, intra cavum tam Thoracis, quam Pericardii, purulentam effusam materiem. Proinde si inflammatoria Pleuritidis materies ita coquitur, ut mobilis facta in venas transmitti, tradique Cordi dextro possit, comprehendimus eam in cavas vesiculas, bronchiaque posse excerni; via profecto longe & faciliore, & breviore, per quam novimus eandem alias ab Aorta arteriis aut renalibus, aut mesentericis, sic tradi, ut perfecte judicetur sine sputis morbus.

4. Unde utrique Pulmonis cum Pleura tam pertinax concretio?

R. Ex observatis Anatomicis novimus I. concretionem hanc observari frequentissimam. II. Ex observatis Pathologicis intellegimus a multis impune illam tolerari, a non paucis ægrius ferri; id quod integra Respiratio in illis demonstrat, in hisce vero læsa; dum interea nulla causa alia, præter hanc concretionem, detegatur, in quam istud respirationis vitium jure refundas. Rationem vero ignorare me lubens fateor, cur eadem ipsissima causa in uno corpore effectum sortiatur, in altero eodem careat! solitariam tamen hanc observationem non esse, imo frequentem valde, observata testantur in compluribus Morborum causis præparantibus, quæ in nonnullis nullum effectum edunt, in aliis

aliis autem & Epilepsias generant, & Apoplexias, & Asthmata, & Cordis palpitationes, &c. Horum in operibus meis plura exempla communicavi; qui vero *Morgagniana* opera hoc scopo evolvit, inventurus numerosiora erit.

Hinc id audeo conficere, ut utrique horum Virorum dudum natus fuerit hic pulmonum coalitus membranosus; cum alias adeo firmus ac tenax, spatio paucorum aut dierum, aut mensium, non existiret, ut illacerabilis esset: posteriori itaque nullam, priori vero multam attulerit valetudinis jacturam.

At vero quæret forsan quis, cur purulentum humorem, qui intra Pericardium, intraque utramque Pectoris cameram, effusus cernebatur, minus existimem annosi mali fuisse originem? Quia in eo, qui usque ad ultimum morbum illibata sex annorum sanitate gavisus est, Pericardii a pure repletio non nisi ex natura peracuti, quo periit, morbi, fieri potuit. Cur igitur, cujus rei in hoc viro certiores simus, ejusdem in priore homine originem alibi quæramus?

Instabis: Pericardii Hydropem Anatomici in illis invenerunt, qui nulla ejus præbuerant in vita indicia. Itidem Hydropem Thoracis, cujus ne minima quidem unquam fuerat ante mortem suspicio: cur ergo adhæsioni pulmonum unice tribuemus, quod forte Cordi adscribendum sit; cum virorum nostrorum alter tot annis male valuerit, & alter idem Pericardii vitium impune tolerare potuerit?

Respondeo I. Respiratio quæ nostrorum priorem tot annis vexarit, non a Pericardii impletione, sed a Pulmonum cum Pleura concretione originem duxisse supra constitit. II. Casus inventi Hydropis Pericardii, absque præviis ejusdem signis, inter omnium rarissimos est; igiturne sapientis est velle utramque hanc historiam, quæ probabiliorem expositionem admittit, ad singularissimum casum referre, aut ut verius dicam, re-

tor-

torquere? III. Qui hoc vellet, non unam, sed duas admitteret eodem in corpore causas, ingentesque eas, & nihilominus indiciis cunctis in vita destitutas: quod videretur rarissimæ rei memoria abuti velle. IV. Data superius explicatio modi, quo in Morbis acutis humores moveantur, secernantur, & excernantur, manifesto docet errantem naturam haud pluribus indigere aut diebus, aut horis, ut ad Pericardium Thoracemque materiam ducat, in eaque excernat, quam vel ad Renes, vel ad Intestina, vel ad organon Cutis, vel ad hos locos omnes.

5. Cur posteriori bona passim alvus, & quid inde boni?

R. Superius jam consistit neque errantem ubique, neque otiosam semper, Naturam fuisse, hacque via portionem excrevisse cocti: forsitan hinc quatriduo serius, quam prior, mortem procrastinavit.

6. Unde tantæ vires utriusque? tantique pulsus arteriarum?

R. Pulsus Peripneumonicorum tunc incipit debilis mollisque prehendi, quando non nisi copia longe parcior cruoris per inflammatum transire pulmonem potest. Sed utriusque his viris pulmonem a portione materiæ morbosæ puris in alia loca depositio exonerabat; minus ergo & cito, & copiose, a Sanguine gravis redditus, impermeabilisque, Pulmo; copiosiorem cruorem transmisit, quam ut consueta pulsuum mollitudo, confidentiaque adessent: hinc se pulsus fortem semper plenumque stitit, quin & sanguis non in serosa parte duntaxat, verum & in rubra, difficulter scindendus, fortiorem, durioremque ictum parietibus arteriarum impressit, easdemque in validiorem renixum irritavit, coegit. Præterea cum Hydraulica doceant humorum subtiliorem partem ex Aorta ad Cerebrum, Cerebellumque ferri, videtur secretio hujus subtilioris ad Corticem Cerebri & Cerebelli parum tantum turbata fuisse;

ſe; videntur ideo Nervi id a ſua origine accepiſſe, quod ad eorundem actionem, motumque requireretur. Quapropter etiam Pulſus ad finem fere uſque æqualis, vireſque ad erigendum, ad ſedendum, ad movendum, ſolito fortiores; ac nulli fere unquam tendinum ſubſultus. Tandem tamen Pulmo, ſolideſcente fere cruore magis repletus magiſque, non potuit ultra ſufficientem ejus copiam tranſmittere, neque exſiccatus idem cruor ultra id ſubtila ſuppeditare Encephalo, quod ſuppeditaverat eo uſque; unde brevi collabi pulſus, & tendere in gangrænam pulmo debuit, letumque inevitabile facere. Defectu hujus ſubtilioris & ſanguis polypoſus inventus eſt, ipſique choroidei plexus, & vacui omni liquore quatuor Ventriculi.

De Membranarum inflammatione differendum accuratius foret: ſed cum ejuſdem nonnulla exempla caſus ſequentes adhuc dabunt, malo diſſertationem hanc differre, donec hos enarraverim caſus.

§. XI. In Conſultationem frequentem vocatus fui apud feminam juvenem, quæ valetudinaria a teneris, matre genita, quam in flore ætatis vomitus incurabilis, Phthiſiſque pulmonaria, e medio ſuſtulerant, pallida, laterum frequentem conqueſta dolorem, hilaris ceterum, demum ſedecim annos nata nupſit; enixaque primogenitum mortuum, partu altero vivam filiam peperit. In priore graviditate, puerperioque, male ſæpe habuit; in altera graviditate longe melius, inque puerperio optime, uſque in nonum diem; quo ceperunt eam & febris corripere, & tuſſis, & vomitus, quæ illam nunquam dereliquerunt. Vomitu abundantiore prægreſſo, tuſſis aut nulla erat, aut modica; vomitum inſtantem tuſſis pronuntiabat frequentior. Pectus, poſt vomitum liberius, alios mecum Practicos dubitantes ſæpe reddebat, an aut revera, an ſaltem notabiliter, affectus Pulmo foret? Eventus autem nos docuit haud in Acutis modo, ſed etiam in Chronicis, haud omnino

tutas

tutas prædictiones esse, quandoquidem inchoante Decembri mense 1769. purulenta sputa Phthisin pulmonarem manifestarent, cum vomitu junctam, posterioribusque Vitæ septimanis cum immani lateris Thoracis sinistri dolore; quo in loco morbi fomitem esse ajebat, eumque Paracentesi a nobis inde auferendum poscebat. Sputis tandem cœnosis, & sudore, alvoque colliquantibus, periit 4. Febr. 1770.

§. XII. Altera a morte die Medici complures, Chirurgique, cadaver lustrantes, vidimus emaciatissimum quidem corpus, Thoracis vero Ventrisque lacertos inexpectatæ pinguedinis copiam habere.

Lympha multa in cavo Abdominis. Omentum & pingue valde, & amplum adeo, ut non modo cuncta Intestina contegeret, verum quoque sinistrorsum Lumbos versus, se circum Colon, Ileumque, circumvolveret.

Quamvis a Diarrhœa colliquante pluries vidimus inflammata esse, gangrænosaque intestina, hic minime.

Coli Intestini transversus per ventrem situs ita inferior consueta sede, ut infra umbilicum diametri suæ parte decumberet, neque majores suos flexus, jecorarium, splenicumque, haberet medio altiores. Situs hujus in causa Jecinoris moles insignior fuit, totum Epigastrium, seu Hypochondria, replentis, Intestinorum proinde universam præcipitantis molem. Hepar autem ipsum, tantæ licet molis, leve adeo ac molle tamen erat, ut quinque cum dimidia librarum medicarum pondus vix æquaret: pallidius totum, pultisque consistentiæ fuit: Lien modicus, justo mollior.

Ventriculus versus os superius amplissimus, sub jecore descendens, in medio suo coarctabatur ab habenis tendinosis, illarum, quas Pylorus habet, consimilibus; postea iterum amplissimus ad Pylorum usque: quod autem notandum, Lobo minore Hepatis contegebatur ab orificio superiore, ad usque expositam mox

coar-

coarctationem, emergens inde trium digitorum latorum ſpatio nudus erat, denique ſub lobo majore Hepatis reliqua ſua parte ſe recondebat.

In Meſenterio, atque Meſocolo, tantam luxuriantis adipis copiam deprehendimus, ut inde conficeremus, & Lactea vaſa, & glandulas primi ſecundique generis, comprimi, chylique tum elaborationem, tum tranſitum, retardari multum, cohiberique debuiſſe.

Veſicula fellea bilis quid continebat, ſed æruginoſæ.

Uterus cum Ovariis non majoris molis, quam in vix nubili puella.

Thoracis conſpectus. Hydrops Pericardii ab unciis lymphæ tribus. Hydrops utriuſque cavi pectoris a ſero rubello non modico.

Pulmo dexter anteriore & laterali ſuperficie liberrimus, ſi excipias ejus cohæſionem cum coſtæ ſuperioris arcu, poſterioreque parte: cum vertebris autem tota ſua longitudine coaluerat. Vomicis carens, tubercula pure plena oſtendit, adeo numeroſa, ut tres hujus Pulmonis lobi nonniſi ejuſmodi tuberculorum congeriem referrent. Pulmo ſiniſter nullibi cum Pleura cohæſit, niſi ad Coſtam ſuperiorem, ad latera omnium vertebrarum dorſi, & media ſui, pedis equini dicti, portione ad Diaphragma; concava autem ſua parte cum univerſo Pericardio. Lobi ambo ejus haud ſecus, quam in dextro, ſcatebant tuberculis; lobus autem ſuperior magnam præterea habebat Vomicam. Perſciſſo hoc pulmone ubique locorum, pus effluxit hinc griſeum magis, illinc plus ſubvirideſcens, quam ex Pulmone dextro.

Qua parte Pericardium & Diaphragma libera a concretione hac erant, non niſi pannum exhibuere ruberrimum.

Ipſa denique Pleura a coſta ſexta vera, uſque ad 5. id eſt infimam ſpuriam, eundem habuit ruberrimorum vaſorum infarctum, eoque manifeſtiorem: quo ab ejuſdem dorſo cellulolitatem accuratius degluberes.

§. XIII,

§. XIII. En iterum Diagnoseos Prognoseosque ingentem, ineluctabilem, præ tot morborum, eorumque causarum syndrome, difficultatem.

Ut enim a ventre incipiamus; sua importuna mole Jecur medium ferme ventrem sic implevit, ut & Ventriculus, & pariter Intestina, vehementer hic non minus compressa, quam depressa, necessarium agendi, evolvendique se, & explicandi, spatium non habuerint. Nonne hinc sæpe illa tarda, qua laborabat, difficilisque, alvus? An non inde quando aut materie, aut flatibus, hæc viscera tumebant, anxietas dolorque! An ipsa Chyli confectio non turbata? non impedita propulsio? Ventriculus vero sub hac mole compressus, an non pro varia, qua repletus materia, impeditus omnino? An hæc compressio non fecerit, aut auxerit saltem, in medio ejusdem inventam constrictionem? An spasmi in hoc angustante circulo vomitum generare aliquando non potuerunt? Nunquid vomitus etiam superato hoc coarctante circulo, adesse sæpe non debuit, quando contentis turgens Ventriculus una cum Pyloro, ab immensa jecoris mole comprimeretur? Et vomitum eundem an non excitavit sæpe Omenti circumvolutio circum Intestina ad Lumbos, Ventriculum, quocum nectitur, trahens, non obsequiosa ejusdem motibus; quemadmodum ab Hernia Omenti solius nasci Vomitum credimus, quando Ventriculum plenum & agentem irritat, vellicatque perpetuo? An & æruginosa bilis in Vomitum non proritat aliis in morbis Ventriculum? Et in hoc emaciatissimo corpore inventa importunæ adipis in Mesenterio moles, an quoque non potuit pondere immodico irritare in Abdomine nervos? Chylo certe debuit, ut supra jam advertimus, impedimento fuisse. Non desunt itaque causæ inemendabilem in vita vomitum explicandi.

Thoracem contemplantes, Hydropem utrisque Pectoris Cavi, Hydropemque invenimus Pericardii: Pul-

mones præterea & connatos hinc inde cum Pleura, & vomicam gerentes, & tuberculis plenos: diram denique Diaphragmatis Pleuræque inflammationem. Horum profecto singula singulos gignere morbos, gravesque illos & letales, possunt. Difficile porro determinare est, quandonam singulæ partium & in Ventre & in Thorace, degeneres mutationes ortæ fuerint? An congenitæ quædam, aliæque originem habuerunt longe seriorem? Sic quidem ut, si congenitas velis, hæ siluerint diu, adoleverintque tandem, ut in effectum prorumperent? Et qua accidente causa? Nunquid etiam, quod & Ventriculi & Oesophagi, distractio, vellicatio, & compressio, quas ab utrisque situ formaque consequi necesse fuit, irritando Oesophagum, faucesque, Tussim, vere stomachicam, eandemque solam in principio, molestissimamque, creare potuerunt; quemadmodum explicare nonnunquam rariores quasdam tusses, vere ac unice stomachicas, debemus? An ejusmodi tusses agitando quatiendoque pulmonem, demum eundem ita corrumpunt, ut Phthisis inde nascatur? Inflammatio autem Pleuræ ac Diaphragmatis ingens & lata, brevine ante mortem, an vero eo tempore nata, quo laterum dolorem conqueri cepit? Saltem qui toto hoc capite nos occupat Aphorismus *Hippocratis*, si antea in Acutis, in hoc quoque lente morbo veritati consonus deprehenditur. Sed mirabiliora videbimus.

§. XIV. Natus XVIII. annos juvenis, Cementarius, narrabat nobis ventrosum a teneris, verminosumque, se fuisse; deinde circa XII. ætatis annum, sumto ignoto quodam pulvere, integros vermium glomeres se dejecisse, ab eoque tempore & ventris concidisse tumorem, & siluisse incommoda vermium: Variolas se infantem, puerumque Morbillos, ita transiisse, ut labes nulla remansisset sanitati: crebrioribus narium hæmorrhagiis obnoxium quondam se fuisse, ab anni autem elapso spatio haud ultra. Febri tertiana ante quinque

abhinc

abhinc decursas septimanas se laborasse, quam demum ignoto pulvisculo, ante 7 & 8. insultum sumto, profligasset.

Hic Juvenis die 3 Junii 1770. cum in sylva publica ambulans, neque, ut ait, æstuans, sudansve, frigidam cerevisiam bibisset, domumque repetivisset, mox horam integram horruit, æstuavit deinde, unaque & lateris dextri, & ventris, pungentem expertus dolorem, siti immani, ac dolorosa respiratione, laborare cepit. Idem & altero die, & tertio, & quarto, per omnia continuavit, cum noctibus propemodum insomnibus. Finiente quarto die Phlebotomia in dextro brachio facta, Infusumque pectorale datum est: effectum inde id, ut dolor pauxillum leniretur: febris tamen cum enarratis symptomatibus, inquietisque noctibus, perseveravit. Die V. ac VI. Diarrhœam passus est, quam oleum cum jure carnium septimo die epotum pacavit.

Die 7 morbi majorem partem elapso, in Nosocomium illatus, pulsum mediocriter celerem habebat, plenumque illum, & fortem, & subdurum, æqualemque. Latere dextro, ac ventre universo, admodum dolentem juvenem vidimus, laboriose respirantem, sicce, frequenterque tussientem, sitientem admodum, leviter transpirantem, valentemque unico, idque totius ægritudinis decursu, capite.

Vena, ut monui, domi secta fuerat. Nos autem summam morbi cruditatem die hoc septimo, octavoque continuantem intuiti, Phebotomiam utroque hodie repetivimus, Libræ ad singulam vicem copia. Utriusque sanguis vehementis inflammationis notam habuit. Mitiora paulatim facta symptomata coctionem incipientem designabant; sic ut nono quidem die finiente naris sinistræ hæmorrhagia modica prodiret; undecimo autem mox instante, ipsoque illo die, alvus copiosa, flava, atque pultiformis, varia vice, una cum Lumbricis teretibus numero quinque, exoneraretur:

ita ut die quarto & decimo judicatus a morbo videretur. Urinæ & sub hoc tempus, & postmodum plerumque, naturales, arenam passim gerentes, postque Aquam lax. Vienn. die 18. assumptam, hypostaticæ.

Hoc ipso die Febris rediit, crevitque cum respiratione perquam anxia, pulsuque & duro, & ad minimum motum inæquali; unde 20. die sanguis missus est, qui summe pleuriticus fuit. Hoc ipso die amplissimas habuit, ut horreremus, pupillas; utque nidum vermium adhuc latentem suspicaremur. Febre parumper mitescente, stillicidium sanguinis nare sinistra observavimus, & dolorem dextræ pectoris ventrisque partis, mitiorem. Sextum Lumbricum hoc die deposuit. At vero die 23 Febris valde inflammatoria fuit, cum auctioribus doloribus, celerique ac dolente valde respiratione. Unde ex dextro brachio iterum decem detraxi uncias cruoris, qui momento crassescere, densoque cepit corio tegi. More nostro, sæpe fortunatissimo, Emplastrum amplum, ex una parte Empl. Vesicantis, tribusque Meliloti, compositum, dolenti lateri admotum est. Brevi post & urina hypostatica mingebatur, & semicocta alvus dejiciebatur, cum septimo Lumbrico, dolore soluto omni, febreque mitiore. Die vero 26, cum dolor redivivus respirationis suffocationem minaretur, nec ullis remediis auscultaret, missionem sanguinis iteravimus, crassitudine, corioque, non cedentis proxime priori.

Die 27. 28. 29. 30. 31. æger melius habuit, alvum urinasque subcriticas reddidit, viribus crevit, dolore caruit; modicam tamen pulsuum celeritatem, & si moveret se, inæqualitatem, habuit perpetuo. Octavum Lumbricum ejecit finiente 31. die.

Die 32. 33. 34. excepta pauciore pulsuum celeritate, per omnia valebat. Die 35. & 36. pulsus sæpe lentus, a minimo autem motu pauxillulo celerior: optime ceterum appetivit juvenis, digessit, egessit, hilaris

& ani-

& animosus fuit, robustusque ita, ut tota fere die aut ambularet per conclavia, aut sederet. Observavimus modo singulis 35. pulsibus, sive celerioribus, sive lentioribus, Dicrotum pulsum.

Die tandem 37 post optimum somnum media nocte expergesit, bene tamen, licet somnum ultra capere non posset, se sentiens, & cum vicinis, quoque vigilibus, ægris confabulans. Vix vero audita hora secunda crampum conqueri cepit manuum pedumque, ac valde ejulare. Pulsus tunc celer valde, ac per omnem modum inæqualis. Celeris quoque, anhelosa, atque inæqualis respiratio. Dilatatissimæ tunc Pupillæ, admotaque immobiles candela. Pluries, quid causæ cur ita vociferaretur, rogatus, nihil regessit. Cum vespertinus Clyster in ventre adhuc hospitaretur, immissum Recto Suppositorium fuit, unde mox cum Lumbrico Duodecimo copiosa alvus. Expulso eo enemate, aliud immissum, idque oleosum, fuit, ad sedandos dolores. Verum obstupebant Assistentes & Custos eam ani amplitudinem, ut facile pugnus immitti potuisset; qui tamen adeo contractus olim, ut clysteris cannulam ægre admitteret. Emolliens atque calens Cataplasma universo ventri obvolvebatur. Deglutitio, & loquela, impossibiles. Vomuit aliquoties. Postea degluttiit spiritus Cornu Cervi succinati tantillum, Juris, Vinique: vomuit iterato. Hora quarta contorquere se per intervalla cepit, & per lectum devolvere, genuaque ad pectus replicare: pauca tunc locutus est, testatus dolorem, Deumque precatus. Mox momento tranquillior visus, expiravit. Horis 50. a morte Cadaver lustravimus.

§. XV. Aperto Ventre, Jecur utroque lobo tres latos digitos infra costas propendebat: ita ut, in cunctis hujus Capitis casibus, si quam duritatem, tumoremve, Hepar habuisset, externus nunciasset contactus;

quem tamen ab altiore ejuſdem ſitu frequenter negari numeroſiora cadavera nos docuerunt.

Colon Inteſtinum infra Hepatis lobi majoris crepidinem, lævoque in latere infra Ventriculum decurrebat ſic, ut ſi Ventris altitudinem a ſterni mucrone ad umbilicum tripartitim divideres, Coli tranſverſi ſitus ad duas tertias infra ſternum partes eſſet.

Jecur & Splen boni. Veſicula bile bona plena.

Ventriculus dexteriore ſua parte locabatur Colon inter & minorem Jecoris lobum; ſiniſtriore autem ad dorſum ſub Hepate abſcondebatur. Perſciſſuſque oleum oſtendit, quod cum jure carnis multum ultima vitæ lucta ſumſerat. Rugas habuit villoſæ tunicæ in cavo majore, in media dextraque vero parte fuit glaberrimus.

Amplus adhuc, minus tamen, quam in ultimo vitæ certamine, orificio ſuo Anus. Inteſtina ab ano ſurſum verſus perſcindendo, Rectum vidimus, principiumque Coli, altitudine quinque digitorum laterum vacuum: Colon abinde, ad Cœcum uſque, plenum flava ac pultem referente materie, affixa undique interiori tunicæ.

Tenuia Inteſtina a Duodeno deorſum verſus aperientes, deprehendimus Duodeni, Jejunique omnis, internam ſuperficiem muco exiguo indui; in Ilei autem plagis quatuor Vermes numero ſex: in duobus ſcilicet locis ſingulum, in duobus geminos; macrem unum, albumque, ac ſpithama breviorem; macrum alterum brevemque, minus priore albidum; tres fuſcos ſolitæ magnitudinis; craſſum unum longum, variegatum, pluribus in locis maxime fuſcum. Hi ſex Lumbrici, cum duodecim illis, quos vivus æger excrevit, faciunt una octodecim.

Ab ipſo jam principio molliore manu Inteſtina contrectaveram, ne quid turbarem, ſi forſan alicubi lumbricus, proboſcide in tunicam infixa hæreret pendulus:

ſed

ſed cum mortui omnes eſſent, deprehendi quid ſimile non potuit.

Ileum Inteſtinum a Valvula ſurſum ſeſqui ulnæ longitudine repletum erat pultiformi ſtercore, lateribus per ambitum adhærente. Pluresque inflammatæ in illo Plagæ. Volvuli non pauci, contorſioneſque Inteſtini; tum & compreſſio ibidem laterum ejus tanta, ut cavitas integre deleretur; deprehendebantur. Mucoſos autem glomeres, quibus plures lumbrici involuti ſæpe prodeunt, non reperiebamus: ad duos modo Lumbricos pauculum muci ſpiſſioris invenimus.

In Thorace boni Pulmones, niſi quod dextri inferior pars jam purpuraſceret. Siniſtri adhæſio nulla, dextri pauca, rara, infirma, cum Pleura; paulo firmior cum Septo medio. Utroque in cavo Thoracis una alterave uncia lymphæ rubellæ.

Pleura dextri lateris longe lateque inflammata, rubris vaſis vehementer infartis turgens, pannum proinde ruberrimum, craſſiſſimumque exhibens. Rubedo autem hæc ab externa Pleuræ partæ celluloſa vix conſpicua, partem ejuſdem interiorem maxime tingebat. Muſculorum intercoſtalium inflammatio nulla.

Solito plus in Pericardio Lymphæ. In cordis ſiniſtri ſuperficie album ſtigma veluti quondam inibi exiſtentis abſceſſuli. Uterque thalamus vacuus. Subſtantia pallida cordis.

Pleura ſuccingens diaphragma æquabiliſſime rubra in ejuſdem dexteriore regione; in ſiniſtriore paulo minus, in tendinea autem parte non modice: inferior Diaphragmatis facies ſana.

Bona Dura mater. Sinus longitudinalis vacuus. Pia vero mater ita rubicunda; ut nunquam a fortunatiſſima injectione ſimile viderim; idque anteriore parte æque quam & laterali, & ſuperiore, & inferiore, interioreque, uſque ad Calloſum Corpus. Sinus duo ſuperiores, nec non tertius, ne guttam quidem Lymphæ

 habe-

habebant; forte nec quartus, sed id affirmare imprudens ejus dilaceratio afferere vetat. Cerebri Nervorumque originum durior solito substantia.

§. XVI. Si Aphorismi *Hippocratis*, quem pro Themate posuimus, veritas unquam manifesta apparuit, hic profecto sic apparuit. Quis enim hic consuetas leges sive naturæ morbi determinandæ, sive prædictionis formandæ, sequi potuit? Morbus a principio inflammatorius, 11. die judicari visus; febricula superstite deinceps die 23. de integro inflammatorius; imperfecta crisi triduo iterum remittere visus; denuo maxime inflammatorius ad 26. diem; postmodumque crisi lenta atque tarda curatus adparens, tandem inopina morte redivivam excipientem salutem, tam amplas, tam perspicuas, tamque nobiles occupasse partes deprehensus, quam immensum a consueto naturæ tramite non aberraverit? sed quo rem facilius enodem, singulam singulo capite resumam.



SE-

SECTIONIS I.

CAPUT SECUNDUM.

De necessitate notandi exacte viscerum in Cadavere situm, sive a natura, sive a Morbis natum.

§. I. Contemplatio frequens situs Viscerum in Cadaveribus necessaria omnino est, quia ingens sæpe est differentia loci, quem occupant. Sine hac attentione non evitabuntur errores in determinandis morborum sedibus. Hoc exemplis probatur.

§. I. IN singulis hujus horni mei Operis tomis scrupulosius semper Viscerum in Cadaveribus situm notavi; neque unquam Medicorum, Studiosorumque corona, in secando cinctus, eorum in hunc ipsum attentionem excitare neglexi. Quippe quando primo toties Hepar aut vix, aut omnino nihil, infra Thoracis crepidinem eminet; nonne fallimus ægros, dum quemcumque sive tumorem, sive duritiem, sive dolorem, infra costarum marginem illi deprehendunt, horum in Jecore causam fontemque statuamus, nihilque nisi Jecoris deoppilationem clamitemus? Neque dicat quis efficere Jecinoris tumorem, ut si neutiquam antea, saltem jam grandescendo sese infra costas percipiendum præbeat: etenim doloris principium vix comitem tumorem habens, tumorisque etiam notabilioris incrementum versus posteriora, Hepatis lobi majoris anteriorem parte infra costarum marginem notabiliter

non

non deprimentia, vanitatem hujus asserti ostendunt. Quando II. sinistrum Hepatis majoris lobum & totum videmus explere Hypochondrium lævum, & longe lateque infra costas descendere; an non ridicula nostra sententia est de absentia eo loco Hepatis, deque sede Morbi aut in Ventriculo, aut in Pancreate, aut in Liene, aut etiam in Colo, quærenda? Ubi III. Splenem innumeris vicibus in arcu costarum, dorsumque versus, recondi advertimus, ita ut rarissime ad costarum marginem porrigatur; annon male Splenem, Patrem morborum appellamus; dolorem, tumorem, duritiem, sub Costarum sinistrarum experti Crepidinem? Si IV. Hypochondrii sinistri incommoda aut in Liene, aut in Ventriculo, aut in Pancreate, Colove, quærimus; jecorarios morbos non nisi in dextro Hypochondrio quærendos rati? Dum V. censemus Ventriculum eorum malorum sedem, originemque esse, quæ in medio, eoque altiore Epigastrio, pauloque sinistrius, percipiuntur; minime attendentes ad Ventriculi situm frequenter vel multo inferiorem, vel penitus sub Jecinore reconditum, dorsove, quam anterioribus, proximiorem? Quando VI. Colicos dolores nuncupamus eos, qui obtinent in Epigastrii superioribus; Colo Intestino vix supra umbilicum inveniendo: viceque versa, dum in Ileo Intestino sedem figimus dolorum, qui umbilicalem regionem torquent, ubi Colon præcipue hæret? Ubi VII. Pleuriticum dolorem eum appellamus, quem ad inferioris Thoracis latera percipit æger; cujusque origo unice in Coli flexu, seu lienari, seu jecorario, est, ad 9. 8. 7. costam, ab inferioribus numeratam, aut alterutro ascendentis, aut utroque latere; interea dum flexus illi pedis forte longitudine depressiores hærent? Et e contrario dum VIII. propter Coli, ejusdemque flexionum, depressiorem, quem observamus quoque non raro, situm, negare audemus ab illius Intestini aut fartura materiæ, aut

flatu,

flatu, aut inflammatione, acritudine, vermibusque, hominem sæpe ad latera thoracis, cui tunc illæ Coli flexuræ contiguæ, dolorem percipere posse, qui mentiatur Pleuritidem? Singulares rarioresque prætereo naturæ lusus, insolentesque errores, quos neque prævidere, neque vel conjecturando assequi possumus; sed ejusmodi partium formas atque sedes hic volo, quas eo frequentiores deprehendimus, quo Cadaverum sectioni incubuerimus seduliores; quæque eam saltem prudentiam insinuant, ut ne ex sede tantummodo mali, sed etiam ex reliquis morborum signis; illorum naturam determinemus, aptamque medelam admoveamus.



SECTIONIS I.

CAPUT TERTIUM.

De Inflammatione ac dolore Membranarum.

§. I. *Membranas omnes vasculosas esse demonstratur: & quidem primum Pleuram innumeris arteriis venisque scatere evincitur experimentis* Abrahami Caau Boerhaave, Morgagni, *partimque* Halleri; *unde* Mullerus *refutatur, quique cum eo hoc negaverunt. De Peritonæo ac Mesenterio idem probatur.* §. II. *Sensiles quoque Membranas hasce esse, probatur ex* Winslowo, Caauio, *& quodammodo ex* Hallero. §. III. *Et vasculosum, & sensile esse Pericardium, similiter patet.* §. IV. *Mesenterii sensibilitatem ostenderunt* Wepferus *&* Ruischius. §. V. *Argumenta numero octo,*

ecto, quibus apparet opinionis sensibilitatem Membranarum, ac praecipue Pleurae, negantis, ea nunc esse tolerabilitatem, ut Pathologiam haud ultra turbet, jamque citra metum nocendi integrum cuique esse, utram velit, sententiam amplecti; & ut ultra non subsistat, quod olim nos inter, Gallerum, meque, *intercesserat, dissidium. Quaerelae de amicis* Italis, *qui hanc nostram turbare concordiam moliebantur. Epistola Viri illustris* Halleri *testatam faciens eandem. §. VI. Interea tamen inexplicabile quid Membranae habent, eo quod etiam illae, quae omnibus fatentibus sensilissimae sunt, saepe insensiles esse appareant. Demonstratur res exemplo Ventriculi, Diaphragmatis, Piae Matris, Intestinorum, nec non nervorum incumbentium Articulorum capsulis. Diagnosis ex* Albertino *pro Intestinis. Casus unus citra exemplum.*

§. I. Membranas vere, direque, inflammatas Auditoribus meis toties demonstravi, ut earum ipsis necessariam debeam expositionem. Pleuram siquidem, tam qua costas, horumque musculos contegat, quam qua convestiat Diaphragma, Mediastinumque formet: Pericardium internum, externumque: Peritonaeum, cum abdomen tegens universum, tum Mesenterium formans, rubicunda vicibus numerosis viderunt mecum. Quum autem muriades vasorum non inflammarentur in illis, nisi haec vasa praeexisterent, minus recte has Membranas ex complanata cellulositate, aut penitus, aut propemodum vasis destituta, fabrefactas existimamus.

Abraham Caau Boerhaave in Aortae descendentem, quem vocant, truncum, ligatis Axillaribus, & Carotide dextra, incisaque Cava vena superiore, thoracem mox ingressura, perque immissam acum perforata, ac perscissa valvula, injecit tepidam aquam, premendoque thoracem cruoris notabilem expressit copiam. De-

tersa

tersa autem aqua, quæ in cavum pectoris transsudaverat, pressoque thorace „ omni momento sudabat „ membrana costas succingens humidum tenue, aquosum, ut & in omni puncto Pericardium, Mediastinum, Pulmones, quorum omnium superficiem docuimus hujus membranæ (Pleuræ) esse propaginem, „ pressa exspirabant aquam: & sponte. Demonstrat hoc „ experimentum patere viam ex Aorta per innumeros „ ramos in omnium harum partium superficie osculis „ minimis. Multum tamen differunt hæc oscula subtilitate ab iis, quæ inter binas Cerebri meninges „ vaporem exhalant. Absterſa enim superficie, dein „ pressa, armatus oculus deprehendebat distinctas guttulas procedentes, quæ mox confluebant. Ergo vasculosam esse Pleuram, atque exhalantibus osculis „ plenam, hoc saltem experimentum demonstrat.

Mediastini ac Pericardii quidem vasa illustris vir *Hallerus* descripsit, non vero, quod sciam, ullibi ea Pleuræ; admittere tamen illa videtur dicendo *Lib. IV. Elem. Phys. pag.* 257. Alba ceterum Pleura, inflammata tamen, aut ab admisso in arteriolas sebo, vasculis non maximis pingitur.

Hinc refutatur systema *Cl. Mulleri de sede & indole Pleuritidis Gissæ* 1756. editum, Pleuramque negans vasis gaudere. Addit Autor Cl. Virum, magnumque Anatomicum *M. Meckel*, vasa quidem in cellulositate Pleuram circumdante detexisse, sed neque injectione subtilissima, neque dissectione, unquam in ipsa Pleura vasa vidisse. Subjunxit etiam *Cl. Mullerus* se quoque in Pleuriticorum cadaveribus rem examinasse, Pleuram vero reperiisse albissimam. Celeber etiam Autor quispiam, in *Mulleri* hanc sententiam commentatus, mitigat quidem illam utcunque consideratione nonnullorum corporum, quorum Pleura inventa esset haud omnino sanguineis destituta vasis; abesse tamen non potuit, quin Pleuræ, sanguinea vasa habentis, rarissimam observationem esse concludat.

Dixe-

Dixerat Vir egregius *Lieutaud*, *Cap. de Infl. Pectoris*: si inspectioni cadaverum fides, quæ sola tamen decidere quæstionem possit, Veram Pleuritidem in morbis rarissimis esse: se enim in ingenti numero hominum, quos pectoris inflammatio occidisset, duos reperiisse duntaxat, qui veram Pleuritidem passi essent.

At vero quanto in numero cadaverum, tam hoc capite, quam præcedentibus hujus operis Tomis descriptorum, centeni testes mecum non viderunt, Pleuram vel rubicundam utcunque, vel rubicundiorem, vel panni scarlatini instar rubicundissimam! Si rarissima res est, cur nobis, post laterum dolores toleratos, visa toties? Si rarissima res est, cur Viris magnis, *Valsalvæ* & *Morgagni*, observata quater & decies? Vide hic *Rat. Med. Tom. IX. Cap. IV.* Abunde sane vindicata Veterum doctrina videtur, in Pleura Pleuritidis statuentium sedem. Et si non raro contigerit, ut alba hæc membrana post Pleuritidem reperta fuerit, haud minus tamen & Pleuritidis sedem esse, & necessario insequente Peripneumonia hominem necare, quemadmodum ex cunctorum Medicorum, ita & Clarissimorum *Valsalvæ* & *Morgagni* observatis demonstratur; qui disertis verbis adnotarint Pleuriticum dolorem non modo inflammatæ Pleuræ, sed & pressæ eidem, distractæve, adscribi oportere.

Atque hæc de Pleura satis; ad Peritonæum nos convertamus. Idem *A. Ceau Boerhaave Per Hipp.* §. 555. *& seq.* „ Aperto Thorace canino in Aortam
„ descendentem per siphonem, abdomen versus, leniter
„ immisi tepidam, expresso prius per incisam Cavam,
„ & supra incisionem ligatam, sanguine. In aperto ab-
„ domine inveni omnia contenta humore subrubello
„ perfusa, atque collectam aquæ subsanguineæ quanti-
„ tatem, venasque omnes ad rupturam usque distentas;
„ sanguine scilicet, per aquam a tergo prementem in
„ illas ex arteriis adacto. Spongia ebibito omni humi-

„ do,

„ do, absterʃa Peritonæi ʃuperficies interna, dein preʃ-
„ ʃa, vel & ʃponte, dabat diʃtinctas oculo armato,
„ quin & nudo, videndas guttulas, quæ ut in thora-
„ ce, mox confluebant. Docet hoc experimentum mo-
„ dum & viam, quibus in ʃanitate cavum a non con-
„ cretis factum in abdomine repletur ʃpiritu (rore)
„ ex continentis ʃuperficie exhalante.

Ut in Pleura ʃuperius, ita hic cernimus iterum in Peritonæi membranæ ʃubʃtantia vaʃa numeroʃa: ʃed rem evidentiorem *Ill. Haller* reddidit *Elem. Phys. Lib. XX.* § 19. Nam vaʃa Peritonæi a ʃeptem poʃt viginti originibus oriunda deʃcripʃit, ut jam ante monui.

Meʃenterium ac Meʃocolon, itidem vaʃa ʃua *Kauiano* Experimento numeroʃiʃʃima demonʃtrant. *De Perʃp. Hipp. Cap.* 27. §. 562. „ Injecta in Art. Meʃenteri-
„ cam ʃuperiorem aqua, exit per ultimas Arteriolas
„ in tota Meʃenterii ʃuperficie, & inter hujus plicas,
„ patentes: ʃudare fecit & eadem omnem Inteʃtino-
„ rum ʃuperficiem externam in omni puncto. In Ar-
„ teriam meʃentericam inferiorem, quæ Meʃocolo pro-
„ ʃpicit, injecta aqua tranʃpiravit ex omni Meʃocoli
„ & craʃʃorum Inteʃtinorum ʃuperficie externa in omni
„ puncto: abʃterʃa vero aqua, eventus, ut ante, erat
„ conʃpicuus.

Egregius *Haller, loc. cit.* „ Meʃenterii & Meʃocoli
„ vaʃa propria diʃtinguere oportet ab Inteʃtinalibus.
„ Illa perexigua, multa, brevia; hæc ampliʃʃima ʃunt.
„ Meʃentericæ arteriæ venæque fere ʃunt ab Inteʃti-
„ nalibus: Meʃocoli vaʃcula, ut perampli, a ʃacris,
„ ab Ileolumbalibus &c. ʃcilicet a XIX. diverʃis trun-
„ cis. Recta ʃunt Vaʃa Meʃenterii & Meʃocoli, ne-
„ que habent illos pulcros inteʃtinalium arcus.

Albæ igitur hæ membranæ omnes a mera complicatione celluloʃæ telæ ʃi formentur, non ab eo ʃola ʃaltem, ʃed ex numeroʃiʃʃimis ʃimul vaʃculis arterioʃis & venoʃis; adeoque obnoxiæ ʃunt nimiæ impletioni, in-

flam-

flammationi, gangrænæ. Quod magno prudentis injectionis labore Anatomici, hoc nostris in ægris toties morbi demonstrarunt nobis. Namque cribra non sunt membranæ hæ, humorem unice transsudantia, qui ex Arteriis supra earum dorsum decurrentibus, per Membranarum transsudaret poros: Morbi demonstrant hæc vasa in ipsa earundem substantia; & cellulositas externa vix vasculosa, si deglubatur, omnium patentissime hæc vasa in mera membrana conspiciuntur.

§. II. Opinio communis fuit Membranas, præsertim autem Pleuram, Mesenterium, forsan & Peritonæum, acutum præbere posse doloris sensum. Consulamus Anatomicos præcipue, & experientiam, ne temere quid aut rejiciamus, aut amplectemur.

Summus Anatomicus *Jacobus Benignus Winslow Lib. IV. Exp. pect.* ubi ostendisset Pleuræ vasa Intercostalium arteriarum venarumque, nec non Mammariarum internarum, atque Diaphragmaticarum, ramusculos esse, eosque & multos admodum, & valde tenues, & frequenter inter se mutuo coeuntes; tandem ejusdem Nervos describens, eos Dorsalium, seu Costalium surculos esse censet. *Pleuram*, ait, ideo nexam costis, ut tendatur, nec dimoveatur: at vero hoc ipso nexu summæ sensilitatis am esse ad minimam sive accumulati cruoris, sive densatæ Lymphæ pressionem; eoque magis, quo hi nervuli præter modum tunc comprimantur in inspiratione, in qua musculos intercostales intumescere oporteat.

A Kaau libr. cit. Cap. VII. §. 142. *& seq.* „ Interea tota cava superficies Thoracis, ad Costas, Costarum cartilagines, & Diaphragma, ubi illud extra „ Pericardii basis ambitum convexum est, obducitur „ una, continua, tenui, nervosa, forti valde membrana, interne politissima. Hæc Pleura dicitur. Huic „ succumbit ubique membrana cellulosa ad externam „ superficiem; hæc in saginatis optimo refertur adipe,

„ in

„ in omni parte; fupra corpora Vertebrarum dorfi,
„ coftas, illarum cartilagines, fternum, diaphragma mu-
„ fculofum: ita ut elato tumore pingui fæpe thoracem
„ arctet, & obefis angat organum refpirationis, &
„ Pleuram a coftis interiora verfus recedere faciat.
„ Quin & in pinguioribus flatu inde diftendi poteft
„ Pleura. Hinc quatit ægros tuffis anhela fues, &
„ faucibus angit obefis. Nufquam uberior hæc pingue-
„ tudo, quam ad loca intercoftalia in pectore: ibi
„ mufculi femper agentes hanc naturaliter requirunt.
„ Ibi aggeritur pinguibus maxime, quafi fquammatim.
„ Ibi tam facile feparabilis Pleura: in Inflammatione
„ laterum elevatur fæpe, & in abfceffus mutatur. In
„ macilentis & tabidis evanefcit prorfus.

Inclytus *Haller. Lib. El. Phyf. VIII.* §. 2. *Caauium* in his injectionibus fecutus, eofdemque effectus expertus, a *Caauii* fententia de fenfibilitate acuta Pleuræ recedit, quod experimenta a fe facta eandem aut plane infenfibilem, aut parum admodum effe, demonftrare vifa fint; fed *Tom. VIII. in Præfat.* rem clarius explicat, & Pleuram fecundario faltem poffe dolere concedit. „ Nihil ego de Pleuritidis fede, inquit, præter
„ pauciffimas voces fcripfi.... Pleuram quidem fenfu
„ carere, impofitos ejus convexo dorfo nervos vero, fi
„ quando ab inflammatione vicinæ membranæ corri-
„ piantur, acriter dolere, hæc omnia & cum ratio-
„ nis fpeculatione confentiunt, & cum experimentis.

§. III. Pericardium inflammari poffe illuftris ejufdem triumviratus teftimonio evincitur; vafa numerofa illius fingulo horum accurate defcribente, *Winslow. lib. III.* §. 85. *Caau cap. XXX. Haller lib.* 4. §. 16.

Utrum vero fenfile Pericardium, nec ne, vix ultra fub lite eft. *Winslovo* fenfibilis apparet, cum propter nervos, tum propter tendineas ejus fibras. *Caau* cum *Ruffo Ephefino* hanc membranam *νευρωδῆν* appellans, fenfibilem ftatuit. Illuftriffimo *Hallero* „ obtufus ejus

„ esse aut nullus sensus videtur; eoquod nervi multi „ quidem Pericardium penetrent, ad Cor ituri: in eo „ sacco pauci manere videntur, neque satis noti. „ Explicationem hanc minus esse priorum repugnantem sententiæ, quam primo intuitu apparet mox videbimus.

§. IV. Mesenterium denique sensilene sit, paucis inquiramus.

Ac primum quidem, *Wepferiana* experimenta summam nos docent sensibilitatem inesse exteriori Intestinorum tunicæ, quæ nonnisi Mesenterii propago est.

F. Ruisch. Adv. Anat. Dec. II. n. 4. annos quinquaginta & plures, ab *Amstelodamensi* Magistratu præpositus interemtorum examini, numerosissimas habuit occasiones hanc quæstionem illustrandi, in populosissima illa urbe, in qua innumerabilis Nautarum gens cultro lites mutuas dirimere solet. Primo notat frequentem ex Hæmorrhagia mortem, post solius Mesenterii læsa, perfosso, si ibi adest, omento, vasa: quæ arteriosa venosaque *Eustachius*, mira sua præparandi arte, tam grandia, tamque numerosa nobis Tab. XXVII. depicta reliquit: *secundo* Mortem & certam, & præproperam, & summis stipatam cum anxietatibus, tum doloribus; vix ceterum ullis vasis læsis, nec sauciatis allis partibus, nisi unius Mesenterii substantia. Unde nobis *Boerhaavius*, de Mesenterii vulneribus sermonem faciens, eorum nobis letalitatem serio inculcabat; quam ab hujus duplicatæ Membranæ Nervis, toto cum corpore communicantibus, oriri arbitrabatur. Profecto aliam fuisse læsionem suspicari nemo poterit, nisi *Ruischii*, Anatomici summi, Viri annosissimi, & in examine, renunciationeque Vulnerum versatissimi, testimonio fidem deneget. Confirmabat mihi hujus observati veritatem Vir optimus, *Josephus Jaus*, Chirurgiæ in hac inclyta universitate, dum viveret, dignissimus Professor: objicientique mihi Chirurgi *de la Pe-*

yro-

yeronie casum ex *Tom. I. Act. Chir. Reg. Par.*, qui in Herniotomia, ablata gangrænosa totius Intestini portione intermedia, ora Intestini utrinque adducens ad vulneris labia consuebat, eademque ibidem, acu cum filo Mensenterio impune transfosso, firmabat; respondit plagam oportere hinc inde in Mesenterio esse, quæ nervo destituta, operationis admiserit impunitatem.

Interim egregius *Haller Lib. XX.* §. *XI.* „ Mesen-„ terii fabrica, inquit, eadem est, quæ in universum „ Peritonæo; natura nempe ex cellulosa tela stipata, „ absque fibris; vasculis numerosis picta, sed exiguis, „ nullis nervis conspicuis. Hinc absque sensu est, ut „ omnino convulsiones ab acriori spiritu Nitri super-„ fuso, in cane vivo natas, ipse experimenti Autor „ *Amatus Lorry* Nervis intestinalibus, per tenue ve-„ lamen tactis, tribuerit. „ Estque *Wepferi* experimentum. An non videtur *Lorryus* sibi vim intulisse, hoc effugium quærendo?

§. V. Quandam itaque sententiarum advertimus discrepantiam, in harum omnium membranarum expositione; paucam tamen eam esse, ac prope nullam, docebo.

Pleuram concedamus insensilem esse, demus etiam insensile esse Pericardium, & Peritonæum, & Mesenterium, Articulorumque præterea & capsulas, & ligamenta, tandem & tendines: inde nullo modo consequitur id, ut falsum sit omne, quod de harum membranarum dolore, partiumque convulsione, ab his affectis nata, deque subsecuta morte, celeberrimi cum Anatomici, tum præsertim Pathologici, adnotarunt. Militari Veritas parti utrique potest.

Namque I. Membranæ, Ligamenta, Tendinesque, possunt videri insensiles, quando subito, quando integre, perscinduntur; acutissimi interim sensus esse; dum aut paulatim sive scinduntur, sive roduntur, sive distrahuntur, aut dimidiatim, partimve, duntaxat

 dissol-

dissolvuntur. Id Historia vulnerum evincit abunde, nec dubii quidquam hac super re in arte est. Vid. *Boerhaave cap. de vuln. in genere*, & *Comm. Ill. Praef.* Ipsa sensibilissima Cutis acriter sæpe dolet dum Vena tunditur; qua propter multi hanc puncturam, seu scissionem formidant: sæpe vero citra vel minimum sensum doloris perficitur: quo Chirurgorum quorundam artificiosa eruditaque manus facere solet. Itidem in Cutis subita expansione inflammatoria immanis dolor sæpe percipitur; in expansione Hydropicorum lenta, eaque & gravidarum, & spina ventosa benigna laborantium, sæpæ ne attacta quidem, aut distracta, dolet.

II. Membranæ, Capsulæ, Ligamenta, aut in sua substantia nervos habent, ut pluribus visum, aut minime. Si minime, nervos modo aut transgressos habent, aut circompositos, aut subditos, aut inclusos. Utrumlibet censueris, Membrana ac reliquæ enumeratæ partes, ab applicata dolorifera causa non dolebunt, si eo in loco ab illis afficiantur causis, quo in loco vel substantia illorum nervo caret, vel ubi nullus adest in vicinia nervus, qui ledi possint: dolebunt vero parum, multum, plurimum, pro varia intensitate applicationis causæ dolorificæ ad Nervos; qui seu pauciores, copiosioresve, in ipsam harum partium Fabricam componendam concurrunt, seu in earundem vicinitate a natura ordinantur.

Unde merito conficere posse videor *Primo*, Lentam sanguineorum vasorum farturam dolore carere posse, eo quod & ipsa Membranarum vasa, si illa sint præ nervulorum in sua fabrica concursu sensibilia, paulatim tantum distendantur, adeoque tardiori suæ expansioni citra difficultatem, citraque molestiam, accommodentur: & si qui nervi vel in substantia membranacea, vel in vicinitate proximiore decurrant, hos expansioni tardigradæ minutatim assuefieri.

Secun-

Secundo, Hinc Ventriculum, Inteſtina, Pleuram, Pericardium, Peritonæum, Meſenterium, & quidquid demum membranei generis ſit, rubicunda ſanguine nonnumquam reperiri eorum in cadaveribus potuiſſe, in quibus viventibus nullæ exauditæ eſſent quærelæ dolorum. Oculorum indolens in Adnata rubedo, qualem in diuturniore lippitudine obſervamus, & id genus alia, hoc confirmant.

Tertio. Si ea nobis animi ſententia eſt, ut etiam minores arteriæ ob ſuæ compoſitionis nervulos ſenſibiles ſint, hac tamen in præcipitante impletione indolentes eſſe poſſe, ſi laxioris per omnia Fabricæ ſint. Exemplo ſit ſubitanea indolenſque oculorum rubedo; hominumque laxioris compaginis ſubitaneus, atque ſæpe intenſiſſimus, faciei rubor.

Quarto. Male ubique aſſeri hic doloris adfuiſſe cauſam, quæ effectu caruerit: ſed aſſeri potius oportere, cauſam, dolorem quæ creare potuiſſet, nullum adfuiſſe; adeoque hiſce poſitis, nullum partium recenſitarum dolorem potuiſſe percipi.

Quinto. Oportere vero omnes has partes dolere, dum celerior vaſorum impletio, ſive arteriolarum nervulos de repente expandat vehementer, ſive nervulos in Membranarum Tendinumve aut fabrica, aut vicinia præſentes premat, extendat, violentoque vellicet pulſu.

Sexto. Neque a ſola inflammatione, verum quoque ab acri quocunque intra vaſa rodente, citra eorundem expanſionem, partium membranearum, tendinoſarumque, dolorem excitare debere: id quod vix ob aliam cauſam, quam ob nervulorum in fabrica arteriarum præſentiam, fieri capimus.

Septimo. Hinc Arthriticos dolores tandem intelligi, in quibus acris podagrica dicta terra, ſanguine advecta, atque in arterias lymphaticas pulſa; quarum per fines neque in venas, neque in minima oſcula exhalan-

tia, transmitti, præ multa sua sive crassitie, sive duritie nequeat; dolores enormes creet, donec affluente liquido dilutior, motu pulsuque attenuatior, per cutis poros evaporare pauxillatim possit: unde Lymphaticis arteriis acutum tribuere sensum cogimur: nisi quis in id inclinet potius, ut a turgentibus pulsantibusque non quidem lymphaticis, sed potius proximis vasis rubris, nervos premi, tundi, vellicarique opinetur. Porro acrem hanc materiem, seu podagricam calcem, in vasis hærere, non extra illa diffundi, Methodus παλαιοκαινὴ docet admovendi ad Podagræ sedem Hirudines: quam Methodum renovatam pulcro tractatu anno 1769. tradidit, experimentis & in propria, & in multorum aliorum Podagra captis, confirmavit, venerandæ canitiei Medicus Andegavensis *Prancifcus Paulmier*. Sin vero vasa crudeliter erosa frangantur, diffundaturque calx podagrica, nodi ac tophi nascuntur, qui vel foras erumpentes, sicciorem, dilutioremque calcem excernunt; vel partem, in qua hærent, vicinasque, rodendo destruunt; quin imo eorum materies aut tenuatior, aut saltem majoribus erosorum vasculorum oris resorpta, vel alios articulos invadit, vel nobiliores malo omine partes.

Octavo. Hinc forte *Aretæi Cappadocis* difficiliorem textum capi, quando nostras animadversiones ad illum contulerimus; quod rite ut fiat integer ille transferendus est. „ Est Arthritis omnium simul Nervorum affectus, si auctum malum omnibus ingruat: initio „ vero Nervi, articulorum vincula, & quæcumque „ ex ossibus exorta sunt, & in ossa inseruntur, dolere „ incipiunt. Ast istorum magnum est miraculum: non „ dolent quidem vel minimum, etiamsi quis secet, aut „ collidat. At si quis ab ipsis doleat, nihil aliud est „ eis ad dolorem excitandum potentius; non ferramenta adstringentia, non vincula, non vulnerans gladius, „ non exurens ignis. Nam & hæc assumuntur tan-

„ quam

„ quam dolorum majorum remedia; quod si quis (ita
„ ut si quis) ipsa dolentia præciderit, sectionis dolor,
„ ut exiguus, a majore obscuretur: sin autem iste
„ etiam validus sit, eos voluptas capit, priorum ma-
„ lorum oblivionem afferens. Id autem patiuntur Den-
„ tes & Ossa; causam quidem veram soli Dii nove-
„ runt, versimilem etiam homines. Est autem, ut
„ simpliciter dicam, hujusmodi: quod est prædensum,
„ contactum, vulnerationemque non sentit; idcirco
„ neque ex tactu, neque ex vulneratione, dolet. Do-
„ lor enim est res aspera sensui: Densum autem non
„ est exasperabile, ideo quoque est indolens. Quod
„ vero non densum, sed rarum est, id bono sensu
„ præditum est, & vulnere exasperatur. Sed etiam
„ quoniam & densa innato calore vivunt, per hunc
„ eundem calorem etiam sentire possunt. Si calidita-
„ tis innatæ intemperie, δυσκρασίῃ, corripiatur, sen-
„ sus fit permutatio.

Difficilem hunc textum ex *Leidensi* Editione huc transtuli, hinc inde nonnihil mutans, quando nimia libertate Interpres a sensu stricto deviat. Difficultas partim a Jonica Dialecta nascitur, partim a variantibus lectionibus, partim forte quoque a vitio Notariorum, qui Exemplaria quædam corrupte verterunt: de quibus omnibus Viri doctissimi *Petit*, *Wiggan*, ac præcipue magnus *Trillerus*, aliique, consulantur. Verum enimvero, si textum hunc post prægressas meas adnotationes legamus, videtur simpliciter velle ut notemus, Partes primo esse, quas tactus etiam rudior vix sensiles esse demonstret: Verbi causa dentes, quæ in durorum corporum perscissione, confractione, commolitione, sæpe ne minimum doleant; attamen ab intemperie humorum, ardorem, caloremque majorem excitantium, dolorem crudelem patiantur. Ita ut una eademque res indolens dici, dolensque possit. Ossaque ipsa & tendines, & ligamenta, duriora utique corpo-

 ra,

ra, si quis indolentia esse existimaverit, fateri nihilominus illum oportere, non esse indolentia, ubi ad nervos, qui illa aut permeent, aut subjiciantur, aut transfadigantur, acrium irritamenta admoveantur. Scite hic, & ad rem nostram, *Parisiensis* elapso abhinc sæculo Medicus *Petit*, in eruditis suis ad *Aretæum* Commentariis: „ Si quis porro quærat, inquit, quid ipse „ de illa difficultate sentiam; equidem si cum *Gale-* „ *no* dentes ipsos sentire fatendum est, hæreo, nec „ quidquam probabile afferre possum: si vero, quod „ alii censent, dentes non sentiunt, sed ipse nervus, „ qui eorum radici insertus est, ad quem per poros „ dentium calor & frigus transmeant, in promptu est „ solutio: nam ad nervum qualitates activæ, utpote „ te incorporeæ, facile subeunt; durities vero, & aliæ „ ejusmodi materiales, non ita; quia materiæ propriæ, „ ceu modi quidam ita adhærent, ut extra ipsam non „ possent diffundi. „ Crusta scilicet vitrea dentis integra, frigus, calor, acria, penetrare se per dentis substantiam inepta, nullum possunt in eo perceptionem excitare doloris: adamantino vero hoc involucro fisso, destructove, penetrant hæc ad filamenta nervosa, excitantque dolorem. Et quia a nervulo tantillo dolor atrocissimus sæpe nascitur in Dente, an illi, qui ob nervorum per membranas, tendinesque, utique partes quoque tensas, durasque, paucitatem, exilitatemque, sensum illis denegant, satis naturam rerum consuluerunt, satisque per analogiam ratiocinantur?

Integrum igitur cuique est, eam in hac disputatione opinionem fovere, quæ ipsi verisimilior videtur: dummodo tam illi, qui aliquam partem insensilem esse censent, eandem nihilominus caute vitandam ob nervorum proximitatem esse intelligant; quam hi, qui sensibilem hanc ipsam arbitrantur, ejusdem vulnerationem, casu urgente, non vereantur. Hæc a principio hujus quæstionis præcipue ursi, ne qui irreperent in Patho-

logiam

logiam errores: neque calamum arripuissem unquam, si ab initio litis Pathologica sarta tecta, ut nunc est, fuisset.

Quæstione igitur e medio solemniter sublata, nonne indignationem potius, quam responsionem, meretur illorum scribendi κακοήθης, qui eandem terminatam dolentes, excitare denuo, æternamque esse mallent? Scriptorum ajo, in quos vertenda esset *Jovis* ad *Martem* objurgatio apud *Hom. Iliad. V.*

Εχθιςός δέ μοι ἐσσι Θεῶν, οἱ Ὄλυμπον ἔχουσιν·
Αἰεὶ γάρ τοι ἔρις τε φίλη, πολεμοί τε, μάχαι τε.

Invisissimus utique mihi Deorum es, qui Olympum tenent;

Semper enim tibi contentio grata, bellaque, pugnæque.

Quid, quod ironice, aut sarcastice potius, scribant me homines suæ sorti committere, necique tradere malle, quam vulnerando partem, quam falso credam sensibilem esse, in vita conservare? Responsum illis datum est; debuissentque, si sapuissent, ex singulis meis Scriptis conclusisse, haud aliam in hisce mentem mihi esse quam Viro immortali *Boerhaavio*; qui *Cap. de Vuln. in gen. & Cap. de Vuln. Cap.* membranas ac tendines sensibiles arbitratus, nihilo secius & hosce dimidiatim abscissos integre perscindendos: sordibus vero sub Dura Matre latitantibus, hanc audacter pertundendam, docuerit. Sed de hisce satis: Libellum non legi: mox enim ut ex paucis, quæ captim legissem, malevolum autoris animum intellexissem, projeci, ut hujus farinæ quisquilias soleo, nec lectione unquam, nec reponsione dignaturus. Profecto si attento animo, benevoloque, legissent quem in modum *Tomo. XII.*

Cap.

Cap. VII. quæstionem amice terminatam exposuissem; neque illustri *Hallero*, neque mihi, sententiam a vero alienam tribuissent: sententiam meam denuo, clare, ni fallor, exposui: ne autem iterato meam mentem, eamve *Halleri*, male referant, ut meam nunc dedi, dabo quoque eam *Halleri*; partem Epistolæ hic inserendo, quam Amplissimus ille *Bernensis Reip.* inclytæ Senator 29. Octobris 1770. ad me scripsit, eamque hoc Tomo publice ut ederem, petivit.

„ (1) Nervi qui nobis imponere ita possunt, ac si „ sensatio ipsis tendinibus inesset, sunt cutanei illi, „ qui per eorundem tendinum superficiem, toto fere „ in corpore, transeunt: præcipue autem in flexura „ Cubiti, in Femore, in Genu, in Manu, inque „ tendinis Achillis vicinitate, in dorso quoque Pedis. „ Nervi vicini tendinum Profundorum nos in Parony- „ chia decipere possunt, ut in Pleuritide; eo quod „ horum sensatio haberi pro ea aut tendinum Flexo- „ rum, aut membranæ Pleuræ, possit. Igitur horum „ Nervorum sensationem recte deceptricem appello; „ quando quidem ne unicum quidem ramulum sive „ tendonibus, sive pleuræ, largiantur. „ Quod

---

(1) *Les Nerfs, dont le sentiment peut imposer, pour le sentiment des tendons memes, sont des nerfs cutanês, qui passent par la surface de ces tendons, presque par tout le corps, & principalement dans la plie du coude, dans le femur, au genou, à la main, aux environs du tendon d' Achille, au dos du pied. Les nerfs voisins des tendons profonds peuvent en imposer dans le Panaris,* (*comme*) *dans la Pleuresie; parsque leur sentiment peut être pris pour celui des tendons flechisseurs, ou de la Pleure. J' appelle le sentiment de ces nerfs* impôsteur; *parceque effectivement ils ne donnent aucune branche, ni aux tendons, ni à la pleure.*

„ Quod autem ad duram Matrem attinet, siqui-
„ dem nullus hucusque detectus nervus est, sensibilis
„ ea esse non potest. At vero si quondam nervi, in
„ ea detegantur, sensatione gaudebit ea nervorum,
„ quos adesse constabit, proportione. Eadem mihi de
„ tendinibus opinio, in quibus, hactenus nervi dete-
„ cti non sunt. Idem de medulla affirmo.

„ Concedo, cum doctissimo *Whytt*, partes nervis
„ quidem, at vero paucis, donatas, quarumque eam
„ ob causam paucus sensus est, posse & in inflamatio-
„ ne & in violenta extensione, acutius sentire; mini-
„ me vero credo destitutas nervis partes posse sensibi-
„ les reddi: testes hujus & ungues sint, & epidermis.
„ Omnino opus nervis est, qui de ea, quod in corpo-
„ re geritur, animam instruant.

„ Porro hæc omnia simpliciter resultant ex nume-
rosi-

Pour la dure mere, comme aucun nerf n'y à été decouvert encore, *elle ne sauroit avoir du sentiment. Si jamais on en découvre, elle sentira dans la proportion du nerf, qu' elle aura. Il en est de meme pour les tendons, ou* jusqu'ici *on n' a point decouvert des nerfs. J' en dis de meme de la möelle.*

Je conviens avec Mr. Whytt, *que des parties, douées de nerfs, mais en petit nombre, & dont le sentiment par consequent est tres foible, peuvent devenir plus sensibiles dans les inflammations, ou par des extensions. Mais je ne vois pas, que de parties, denuées de nerfs, puissent devenir sensibles. L' Epiderme & les ongles en font foi. Il faut absolument des nerfs, pour instruire l' ame, de ce qui se passe dans le corps.*

Tout cela fait simplement le resultat d' un nombre extréme d' experiences, sans Systême, ou Hypothêse.

„ rosissimis experimentis, citra vel minimum aut Sy-
„ stema, aut Hypothesin.

„ Hocque id ipsum est, quod cum publico commu-
„ nicare velis Tomo tuo XIV. rogo; præcisa sic erit
„ omnis erroris occasio.

„ Forsitan dicta jam olim repeto; abesse tamen ne-
„ queo, quin iterum moneam: Duo eruditi, dum in-
„ ter se disputant, exponunt se ignarorum, sciolorum-
„ que judicio: jamque, ejusmodi habere Judices, de-
„ gradatio est.

„ Pathologiæ nunquam immiscere me volui.

Si ergo illustri huic Viro volupe sit promovere sua experimenta mille modis, mihique Pathologiam macte tueri, excolere, ornareque; nullum unquam inter nos intercedere dissidium posse, clare quisque perspicit; cum & ipse hanc perpetuo excludat, & ego illa, utpote ad hanc non pertinentia, non attingam. Unde magni Viri discipulis, qui contra mentem Præceptoris experimenta urgeant, eaque a Theoria ad Praxin transferre gestiant, non nisi *ad Calendas Græcas* respondendum sit.

§. VI. Quiddam tamen in Historia Membranarum superest, ad quod dubito an unquam aptam adornemus solu-

---

Voici, Monsieur, ce que je Vous prie de presenter au Public dans votre XIV. Volume, & tout méprise deviendra désormais impossible.

Je ne sais, si c'est une répetition, mais je ne puis, que Vous prier, que deux Savans en dispute, s'exposent au jugement des ignorans, & des démisavans, & que c'est deja une degradation que d'etre jugé par de telles gens.

Pour le Pathologique, je n'en ai jamais voulu m'en meler.

ſolutionem. Cur ſcilicet Membranæ, haud illæ modo, quarum ambigua ſenſatio eſt, verum etiam quarum ſenſum extra omnem dubitationis aleam eſſe fatentur omnes, ſæpe non doleant, licet & certas in ſe gerant, & demonſtratas, & neceſſarias doloris, ejuſque atrocis, cauſas? Res autem ipſa indubitato repetitoque crebrius experimento certa eſt. *Tomo VI. hujus operis* publicam demonſtrationem retuli juvenis, in quo periodici vomitus cauſam poſt mortem quærentes, invenimus „ „ Ventriculum ore ſuperiore ſuo, initioque Oeſophagi, multo ampliorem ſolito, ſanguine omnibus ſuis „ in vaſis ita turgentem, ut eadem in nonnullis duarum, aliis in locis trium linearum, diametrum haberent; ceterum Ventriculum & fundo toto ſuo, & „ in aliis plagis duabus, tam interne, quam externe, „ purpurei plane fuiſſe coloris. Interim nulla ſigna febris unquam; nulla Gangrænæ in pulſu; nullum „ unquam in hoc viſcere perceptum dolorem; nullam „ cujuſquam defectus Ventriculi, niſi qui ſeſqui hora „ ante mortem contigiſſet Vomitus, notam obſervatam „ fuiſſe. Ideo obſtructio adeo notabilis, Inflammatio „ adeo ſæva, Gangræna adeo vehemens, ut totam „ Ventriculi ſubſtantiam penetret, citra dolorem, citraque febrem, contingunt? bono cum appetitu formantur? cum integra Viſceris perficiuntur functione? Qua enim die Juvenis moriebatur, pulſum ſanum ac per omnia naturalem, habuit; optimumque „ ut meridie, ita veſpere, appetitum. „

Tomo IX. Cap. 1. *&* 2. Anatomen deſcripſi Juvenculæ, quæ ineunte mox febre acuta ſepties & vomuerat, & dejecerat alvo; deinde vero per quinque fere dies totius morbi non modo, nec nauſeaverat, nec vomuerat, verum e contrario jus carnium ſumſerat appetens, ſiticuloſa biberat, medicamentaque abſque vel minima Ventriculi moleſtia aſſumſerat: cujus tamen Ventriculum viderunt Auditores mei per univerſas tu-

nicas

nicas suas rubrum, interius autem ex inflammato ultra pedis spatium jam gangrænescentem.

Eodem Tomo IX. publicam Anatomen communicavi Diaphragmatis, adhuc post detractas 70 uncias sanguinis utrinque, & æque in musculosa, quam in tendinea parte, inflammati: quamquam æger in morbo suo sua nutrimenta, sua potulenta, suaque medicamenta, sic & deglutiisset, & retinuisset, ac si nihil morbosi inibi latuisset; dum interim omnia ejicere Paraphreniticі soleant.

Strenuum Belli Ducem quondam vidi, qui a multo animi corporisque labore, longiore sæpe itinere, & tristi necessitate excessivis compotationibus gratum se acceptumque reddendi Genti, ad quam missus Orator fuerat, Arthritidem ἄκοπον sæpe habuit. Annosa & nodosa Arthritis erat, jamque in variis digitorum articulis Ancylosin formabat. Affui ipsi, Arthriticum patienti insultum, cum omnium articulorum valido & tumore, & rigore, citra dolorem, ne ab attactu quidem. Quique a secretis illi erat, testabatur mihi eam indolentiam in singulis se observasse paroxysmis. In hoc igitur Viro non tendines modo, ac capsulæ, quarum sensilitas negatur, verum & nervi numerosi, accumbentes, succumbentes, interjectique inter hasce partes, ipsa tandem sensilissima cutis, quamvis subito expansa, sentiebant nihil.

Et, ut hic recens visa, & hoc capite recensita observata, ac maxime verminosi nostri juvenis, quoque commemorem; an ab una parte serenum assiduo caput, ab altera parte Piæ matris universæ, de cujus sensibilitate nemo hucusque dubitavit, inflammatio, qua dirior existere nequit, non confirmant hanc thesin abunde?

Memorabilis Historia est quam *L. Riverius* non ex aliis, sed ut testis ocularius, *Cent. III. n.* 26. narrat, hominis, qui primo die, duntaxat ventre doluerat, exinde vero usque ad 13. morbi diem, quo interiit,

omnino

omnino nihil. Febris interim tertio die superveniens, sitis, linguæ ariditas, Vomitus usque in 7 diem vehemens, ut ipsa stercora sequerentur, inflammationem affirmare Medicorum consilio videbantur; quam tamen negabat doloris absentia, alvusque post 7 diem copiosa, & frequens. „ Aperto cadavere inventum est In„ testinum Ileum tribus complicationibus convolutum, „ & quasi compactum in unam massam circa finem il„ lius; tota autem illa Intestini portio complicata, „ gangræna affecta erat, cum portione Mesenterii sibi „ adjuncta. „ Excrementa per disruptum sphacelo intestinum in cavo ventris erant diffusa.

Si quis forte Sphacelum jam prima morbi die natum arbitraretur, eo quod dolor exinde cessasset, hunc *Ill. Morgagni Ep. An. Med. XXXV.* rogaret. „ Num „ Sphacelum primo jam die factum credes? Duodecim „ ergo dies sic homo vixerit. Deinde quomodo Spha„ celo facto, febris, quæ antea non erat, accessit cum „ linguæ ariditate?

Idem Vir ill. *Morgagni Epistola XXIX.* dum in cadavere Patricii *Bononiensis* inveniebatur omnis Intestinorum substantia a Ventriculo, usque ad Recti finem, dira inflammatione occupata, ut ne minima quidem eorum pars illæsa relinqueretur, tandem ait: „ „ Si forte illud quæras, cur Intestina ipsa, tam gra„ viter affecta, dolore igitur non cruciarentur, quo „ consentiens Ventriculus tentabatur; a veri similitu„ dine non abhorrebo, si quo in homine tam crebro, „ tam facile, tot nervi resolvebantur, in eodem conji„ ciam quoque nervos resolutos fuisse, qui ad Intesti„ na pertinebant. „

Item *Epist. XXI.* Agricola primum a contusione dextri lateris curatus, forte ob ingluviem in febrem ardentem lapsus, intra octavum ejus diem moritur, citra vel minima signa observata Medicis inflammati ventris, vel minimum ab ægro perceptum dolorem. „ In

„ ca-

„ cadavere imæ Ilei Inteſtini partes, ad magnos tra-
„ ctus, undique ex atro rubebant, ſanguiferis vaſis non
„ ſecus, ac poſt injectam coloratam ceram; manifeſtiſ-
„ ſimis; gravis autem erat odor, qualis ſolet Inteſtinis
„ inflammatis.

Et Senex a Pleuritide curatus, in eandemque relapſus, citra vel minima Inflammationis Inteſtinorum ſigna, licet pulſus vere Pleuriticus ad ultimum vitæ diem obſervaretur, moritur. „ Ventre aperto gravis
„ ille odor perceptus eſt, qui ex Inteſtinis inflamma-
„ tis. Et ſane tenuia ad longos tractus circum circa
„ rubebant.

Ut autem verbo multa contraham, laudatas magni Viri Epiſtolas pervolventi apparebit, I. Dari inflammationes notabiles citra febrim magnam. II. Eaſdem haberi citra vel minimam. III. Adeſſe inflammationem ſine febre quidem, ſed non ſine dolore. IV. Adeſſe cum febre, ſed ſine dolore. V. Inteſtina & inflammata, & inflammatiſſima, a morte reperta eſſe, abſque vel febre in vita, vel dolore, perceptis.

De Febris abſentia in ſummis inflammationibus, dolore præſente tamen, poſt relatas a *Morgagno* plurium Medicorum obſervationes, egregius nos monuerat *Simſonus*: cujus occaſione Ill. noſter Archiatrorum Comes in *Comm. ad* §. 371. *Boerhaav.* „ Inde ſaluberrimum
„ inquit, in praxi medica monitum poſuit *Simſonus*,
„ ne decipiantur Medici, credentes nullam inflamma-
„ tionem adeſſe, ſi febris abſit. Cum ſæpe fixos dolo-
„ res Inteſtinorum, imo Pleuritides ſpurias epidemicas
„ ſe vidiſſe aſſerit, quæ ſine ulla febre pluribus men-
„ ſibus affligebant ægros, niſi ſtatim Venæ ſectione &
„ aliis, inflammationi debellandæ aptis remediis, cu-
„ rarentur.

De ſumma inflammatione citra doloris perceptionem, de eadem citra vel febrem vel dolorem; cum ill. *Morgagni*, tum mea hactenus prolata, fidem faciunt: uni-

cus

cus modo inter hæc omnia casus est, in quo nervorum paralysi, tribui forte doloris absentia posset: in ceteris neutiquam.

Egregius idem Autor harum observationum singularitatem minus admirari ceperat, ex quo venerandis suis Præceptoribus *Valsalvæ*, & *Albertino*, historiam Adolescentis sic denati, enarrans, similia, nec semel modo, ipsis occurrisse intellexisset: Posteriorem vero addidisse latentium ejusmodi Intestinorum cognoscendorum modum, ex pulsu, abdomine, & facie. „ Pulsus enim
„ humilis & debilis potius, & qui, si bene attendas,
„ sibi oscure dissimilis sit, abdomen autem tensum, &
„ durum, & cum dolore quodam: facies denique in-
„ soliti aliquid, sed in aliis aliud, ostendens, ut in-
„ terdum oculos quasi exterrefactos, alias livorem quen-
„ dam circa labra, animadverterim; hæc, inquit, fe-
„ re; nam aliquando linguam etiam adnotavi haud be-
„ ne se habentem, & quandam sitim; mihi accidit,
„ ut in ejusmodi casibus se observanda præbuerint. Sic
„ ille ingenue, ut solebat, quæ requirebam, signa in-
„ dicabat. Quorum mihi Veritas cum in aliorum,
„ tum præsertim in *Thomæ Alliotti* casu perspecta est,
„ probi æque, ac nobilis civis mei. Cum enim post
„ dolores quosdam Ventris, quibus erat obnoxius cu-
„ baret, nec eadem qua solitus erat celeritate conva-
„ lesceret, me autem per eos dies; Autumnus erat,
„ si recte memini, anni 1711 incommoda valetudo
„ domi retineret, missusque sub vesperam ejus Me-
„ dicus, qui me consuleret, nonnulla ex iis signa
„ narrasset, quæ modo commemorata sunt, ipse autem
„ interrogando quædam alia ex iisdem non deesse in-
„ telligerem; respondi nihil tale opinanti, ad ægrum
„ rediret, quem si vel tantillo interea pejorem factum
„ animadverteret, continuo admonendum curaret, pos-
„ se magnum instare periculum; ut sibi, & posteris,
„ consueta religione prudentiaque prospiceret. Quid

„ quæris? Perpaucis post horis æger manifesto in pe-
„ jus ruere cum cepisset, atque ea, de quibus tunc
„ demum admonebatur, statim perfecisset, intra ipsam
„ illam noctem Vir optimus præcipiti casu ereptus
„ est „ Locum longiorem reddere absque contractione volui eorum in gratiam, quibus præclari hujus Operis copia non est, quo tamen carere nemo Medicorum potest.

At vero præter hæc quinque singularia capita, suis quæque probata atque demonstrata observatis. Sextum est, quod in Viro, cujus historiam §. II. memoravi, præ reliquis omnibus παράδοξον apparuit; scilicet quod in dirissima inflammatione, eaque universalissima, cum universi fere Peritonæi, tum Ventriculi, Intestinorumque, neque vel minimum abdomen intumuerit, neque defuerit alvus. Hic igitur præcipuum deficiebat signum *Albertini*: alterumque de Alvo variorum Autorum, ad Diagnosin atque Prognosin requisitum, in solo Senatore *Riverii*, cui a 7. a. d. 13. diem fluxerat alvus, defuit.

Concludamus tandem ex hisce omnibus Inflammationis Ventriculi, Intestinorum, Mesenterii, Diaphragmatis, Pleuræ, signa tam clara atque evidentia sæpe esse, ut præsentem illam pronunciemus audacter; febrem acutam, ardentem, sitim ingentem, vehementem dolorem, Ventris tumorem, alvum clausam, Vomitum deinde ac primo ingestorum, deinde etiam contentorum in dictis partibus; nec raro denique veram earundem gangrænam sphacelumque: contingere tamen non perraro, ut Intestinorum, ac Ventriculi, Mesenterii, Omentique, ac Peritonæi, inflammatio lethalis, vel uno, vel pluribus, vel omnibus hisce signis deficientibus, observetur. Ita quidem ut etiam inde Sententiæ *Hippocratis* veritas confirmetur, statuentis Acutorum morborum prædictiones haud esse per omnia, & semper, tutas certasque, sive sanitatis, sive mortis.

SE-



SECTIONIS I.

CAPUT QUARTUM

De Febre Verminosa.

§. I. *Signa vermium in corpore humano degentium numerantur ultra sexaginta, quorum alia frequentiora, alia rariora, alia rarissima sunt. In Juvene nostro signa plerumque pauca. Pseudo-pleuritis & a Vermibus, & a dolore quocumque Intestinorum, explicatur N. 3. Non spuria tamen, sed vera Pleuritis, ea nostri ægri fuit, quæ quomodo in illo nata fuerit, inquiritur: sic tamen ut eum Lumbrici potius, quam Pleuritis, interemerint. N. 4. De Tussi Verminosorum, eaque occasione de tussi, a quacumque alia causa, quam a Pulmone, nata. N. 12. Ampla Oculorum descriptio cum Verminosorum, tum nostri ægri.*

§. II. *Vermes sæpe adsunt, ubi deesse illos credimus, viceque versa: perperam autem statuuntur omnium morborum causæ. Refutantur qui hanc verminosam Pathologiam tribuerunt* Hippocrati: *explicatur proinde Græcorum* τὸ Θεῖον, *&* Latinorum Ferinum, Belluinum: *ex utriusque Sermonis genio. Vermes in corpore humano reperiuntur, non generantes morbos, sed aliunde se in corpus insinuantes. Sæculis quatuor ante* Aristotelem, *Vermes e putredine vere nasci delirantem,* Homerum *novisse muscas ovula in Vulneribus deponere; moxque exclusis illis Vermes prodire; perspicue ex* Iliad. XIX. *patet. Respondetur iis, qui cunctorum morborum causas animatas esse probaturi,*

contendunt morbos neque tutius, neque citius, quam antihelminticis, curari. Prudentia adhibenda in legendis scriptoribus de hac re agentibus.

§. I. CApite primo pag. 64. verminosi juvenis inopinam mortem mirabamur, veræ ejusdem causæ necdum gnari. Ea nunc quarenda est. Ut autem tolerabile quid de eadem, nec non de juvenis hujus & morbo, & morte, dicatur, necesse omnino erit primum de Vermium signis, deque ipsius Verminosæ febris natura, breviter differere.

Morbi præmittenda definitio foret; sed deficiet hæc. Ut eam autem nobis aptam comparemus, enarranda erunt ea omnia signa, quibus præsentibus vermes obsidere humanum corpus, vel cum Febre, vel sine illa, observentur. Hæc nunc dicuntur sequentia.

I. Morbi Verminosi aliquando aut pauca febre consociantur, aut nulla, sed potius affectarum viarum primarum symptomatibus; symptomatibus etiam quæ, ut ex *Eustachii*, *Willisii*, *Vieussenii*, *Winslovvi*, *Haller*, atque *Meckelii* Tabulis manifestum fit, commercium octavi Paris cum Sympathetico magno, horumque cum sensorio communi, omnium Nervorum scaturigine, conjunctio, excitare & promovere debent: Apoplexia scilicet, Lethargo, Paralysi, Hemiplegia, Palpitatione cordis, & Asthmate, Viriumque dejectione, Pulsibus quoque aut intermittentibus, aut remittentibus, aut inæqualibus, deficientibusve; tum Aphonia, Cophosi, Amaurosi, Convulsione etiam, & Epilepsia; quibus sæpe mors succedit.

2. Lumbrici cujuscumque generis & intermittentes generant, & continuas febres, & non raro malignas.

3. Producunt quoque quoddam intermittentium febrium genus, vagarum prorsus, ac pertinacium, symptomata quoque ejusmodi referentium, cujusmodi brevi in

vi in hisce explicandis, quæ continuarum Febrium sunt, enarrabo.

Scilicet *primo* dicitur Cephalalgia in hisce febribus tanquam a principio præsens: ubi vero signa nonnulla Criseos processerunt, caput grave tunc, atque hebes esse, narratur. Juvenis noster excipiendus ab hac regula est; quem triginta atque septem dierum tempore, quibus in Nosocomio fuit, nunquam aut dolentem capite, aut hebetem, sed potius perpetuo serenum, reperiimus: idque vitæ etiam ultimis diebus; licet in iis causam gravissimam cum doloris, tum habetudinis Capitis, inflammatissima, cunctorumque testimonio sensibilissima pia Meninx, ponere debuisset. Duplici itaque modo a generali regula eximere juvenem oportet.

Verminosa nostra femina *Tom. XII.* Capitis quidem hebetudinem perpetuam conquesta est, nunquam autem dolorem. Epidemias verminosas legi, quæ nullius in capite vitii meminerint.

Secundo. Lingua Verminosorum fuscam sæpe gerit, subpinguemque crustam, quam halitus fœtidus oris comitatur: fœtidus autem sic, ut & subputridi, & subacidi quid, referre videatur adstantibus. Juvenem nostrum & ab hac regula excipias, cui & semper tam leviter alba lingua fuit, posterioribus potissimum diebus, ut albam illamne, an naturalem pronunciaremus, animo hæreremus; & oris fœtor nunquam perceptus est. Utrumque quoque defuit feminæ nostræ.

Tertio. Recensetur in signis lateris ille dolor, qui æmuletur Pleuritidem, qui inconstans vagusque sit, qui vel cum morbo ortus, ad Crisin cesset, vel post eandem perseveret. Hujus & veneranda antiquitas meminit. *Aretæus Cappadox* tribus diversis in locis nos monet, ne dum causa in Ventre hæreat, morbum salutaremus Pleuritidem: ac primo quidem *Acut. Morb. Caus. Lib. 2. Cap. 6. de Ileo*: „ Si causa in Colo est,

 „ do-

„ dolorque modo ad coſtas ſuperiores adſcendit, ἔυτε „ *φαντασίῃ ἐγγίγνεται πλευρίτιδος καὶ γὰρ καὶ* „ *πυρεταίνουσι οἵδε*, tunc idea naſcitur Pleuritidis, etenim hi quoque febricitant. „ Secundo *ibid. cap.* 3. „ Quod ſi aliquando grandior lapis concavo Renis „ inhæſerit, tunc dolores lumborum circa Muſculos „ Pſoas excitantur, & *ad medias uſque coſtas* perve„ niunt: multis ſane dolor iſte, ac ſi Pleuriticus eſ„ ſet, impoſuit. „ Et tertio *Lib.* 1. *Cur. Acut. cap.* 10. *de Pleuritide*. „ Sed nonnullis & dolor & inflam„ matio erupit, quaſi horum locorum (laterum) affe„ ctus eſſe videretur, cum tamen id interiorum vitiorum „ incrementum ſit. „ Textuum horum hic memini, non quod vermibus tribuat cauſam doloris *Aretæus*, verum quod dolorem, Pleuritici æmulum, a cauſis longe aliis, quam a quibus Pleuritis, natum & obſervaverit, & poſteritati tradiderit.

Extant autem obſervationes numero non paucæ, antiquorum recentiumque Autorum, *Gabucini*, *Donati*, *Etmulleri*, aliorumque, quos in Sepulcreto *Bonetus*, quos in Epiſtolis *Morgagnus*, memorant; quæ a Vermibus in Ventriculo, Inteſtiniſve latitantibus, dolores ſæpe ortos eſſe docent, qui mentiantur Pleuritidem. Et quid in hanc rem evidentius ea hiſtoria, quam clarus ipſe *Morgagnus* refert juvenis in *Noſ. Bononienſi*? „ Is enim dolore lateris, tuſſi, ceteriſque Pleuri„ tidis indiciis affectus, & de his duntaxat conque„ ſtus, niſi quod tamen ſimul nauſea tenebatur, cum „ ab iis, quæ ceteros juvare pleuriticos ſolent, vel „ pejus ſe haberet; denique rejecto inter vomitum ſan„ guineum terete Lumbrico, ſtatim ab iis, quæ di„ cta ſunt, omnibus liber eſt factus.

Conſervavit nobis idem perilluſtris Vir, cui ob id eximias debemus gratias omnes, conſcriptam ab egregio Medico *Pedratto*, condiſcipulo quondam ſuo, Epiſtolam

stolam de *Febre Verminosa*, cui *Ferrariæ* anno 1705. interfuerat, Pleuritidem vere referente; a qua convaluere omnes, qui Vermes sat cito ejicerent: unde posthabitis ceteris adversus Pleuritidem auxilis, in solo Emetico, maturius dato, sita erat ægrotantium salus. Quantumvis enim Oleo, Mercurio, Myrrha, Corallina, Vermes ano mirifice expellerentur, augebatur potius a dejectionibos dolor, inflammatioque superiorum partium. Videntur hic vermes Ventriculi maximam molestiam creasse.

Si demum quæratur, quo pacto morbi verminosi mentiri Pleuritidem possint, non uno quidem modo id exponi posse censeo. Primo enim Coli Intestini tractus transversus tanta sæpe ventris altitudine collocatur, ut utroque suo flexu ad 9. 8. 7. 6. Costam adscendat, seu alterutro in latere, seu in utroque: quam rem a me in secandis cadaveribus toties notatam, toties demonstratam Auditoribus, hic ut repetam opus non est. Dum itaque Lumbrici in sublimi adeo Intestino hærentes, vellicant idem, mordentque; annon, illibata Pleura, dolor, Pleuritici æmulus, ab ægro percipiatur necesse est? Ipsi enim Pleuræ accumbit doloris sedes. Annon dolens jam Intestinum a pleniore per inspirationem pectore pressum, dolebit acutius? Læsaque sic respiratione, num abesse diu tussicula possit?

II. Ab ipsa verminosa dispositione, sive Colum sublimiore loco, sive profundiore locatum, sit Pleuritidi similis dolor percipi poterit, qui re quidem vera verminosus suo in principio existens, vera tamen Thoracis, Partiumque Thorace contentarum, inflammatione hominem necet. In laudata *Pedratti* Epistola Viri anatome legitur, quem hujus morbi vis celerior atrociorque sustulerat. „ Pulmones tumebant adeo, ut totum „ Thoracis cavum implerent. Sinister autem, quo in „ latere dolor fuerat, penitus inflammatus, ac nigri-

„ cans,

„ cans, conſpectus eſt, præterea inferiora verſus albi-
„ do ichore infarctus, abſceſſus inſtar. Pleura ubique
„ inflammata liveſcens, & nonnullis quaſi punctis ſan-
„ guinis diſtincta. Intercoſtales muſculi, Interni præ-
„ ſertim & ſiniſtri, hactenus inflammationem contra-
„ xerunt, ut ſugillati viderentur. Denique in Cordis
„ ventriculis, annexiſque magnis utriuſque generis va-
„ ſis, grumi fuerunt atri ſanguinis, nec diſſimiles po-
„ lypoſæ concretioni.

Unius quidem traditur duntaxat cadaveris ſectio: ne tamen ideo ſuſpicetur quis hominem, cujus anatomen hic legit, peculiari modo per id tempus obiiſſe, cæteros vero verminoſos viſcera haud ita comparata habuiſſe, *Morgagnus* compendio multa congerens, addidit: „
„ illud certum cum multorum, quos deſcriptus mor-
„ bus abſtulerat, Cadavera, tum *Farneſii*, tum in
„ proximis Oppidulis ſecarentur, viſcera quidem Ven-
„ tris in aliis aliter, ut propriæ ſingulorum affectiones
„ ferebant conſtituta apparuiſſe; Scirhoſa videlicet, ob-
„ ſtructa, aut alia ratione male habentia; præ cete-
„ ris autem valde affectum Ventriculum, & tympa-
„ niticum in modum inflatum, putridaque & grave
„ olente humorum ſaburra onuſtum; ſed præcipuam
„ læſionem in omnibus intra Penetralia Thoracis, fe-
„ re eandem ac quæ propterea ex uno tantum ſubji-
„ citur, deprehenſam eſſe.

Si quis ad hæc roget, qui fieri demum poſſit, ut cauſa morbi intra inteſtinorum tantum latitante cavum, Pleura, Viſceraque Thoracis, vehementi adeo inflammatione occupentur; illi reſpondet *Morgagnus*: „
„ Ut igitur appareret, primum quidem a Vermibus
„ inferri aliquando Pleuritidis ſimilitudinem, quæ eje-
„ ctis vermibus continuo evaneſceret; deinde autem
„ veram ipſam Pleuroperipneumoniam interdum fieri,
„ ſi porro illi irritare pergerent, & ſic ad Thoracem
„ non vapores neſcio qui, ſed conſtantes ſpaſmodicæ
mem-

„ membranarum crispaturæ traducerentur, quæ san-
„ guinem denique, præsertim lentum, in vasculorum
„ angustiis retinerent, visum est, ut hoc licebat, ex
„ recentibus *Pedratti* observationibus intelligere, sic
„ illud quoque recenti mea observatione confirmare.

Profecto in ardua adeo, difficilique quæstione, conjectura hæc *Morgagni* magnam probabilitatem habet, quam in Analogia augere videtur. Non omnem tamen difficultatem tollere ex eo patet, quod si a Vermibus Intestinorum spasmodicæ Membranarum Crispaturæ ad Thoracem traducerentur, quæ sanguinem denique, præsertim lentum, in vasorum retinerent angustiis; expulsis Lumbricis mitius debuisset cum ægris agi; dum e contrario, ut in morbi *Ferrariensis* relatione est, dolor & inflammatio pergerent, mortemque inferrent, etsi Lumbricos probe expulissent Antihelmintica; imo dum graviora hæc fierent, quam ante expulsionem fuissent. An Membranarum crispaturæ ejusmodi, quæ illas inflammarent, a Lumbricis Ventriculi nascerentur duntaxat? Sed non omnes, qui Vomitu evaserunt, evomuerunt Lumbricos: Juvenisque prior, cujus historiam *Morgagnus* mox ante hujus casum dedit, qui ejecto cum vomitu sanguineo Verme, a pleuriticis mox levaretur doloribus; juvenis, inquam, ille prior a Pleuritide liberabatur ejecto, non Verme, sed grumo sanguineo castaneæ magnitudinis, foetidoque. Neque febres Verminosas cum laterum dolore ad solos Ventriculi Lumbricos ab Autoribus determinatas reperio, verum etiam ad illos Intestinorum. Nec suspicetur quis ab Antihelmintico purgante cieri nimios humorum motus, ideoque auctam inflammationem fuisse; siquidem *Aqua benedicta Rulandi*, quæ in eadem Constitutione passim dabatur ægrotantibus, longe violentius & corpus totum, & pectus potissimum, pleuramque, exagitat, divellitque, quam ejusmodi alvinum purgans. Quo ex hoc Labyrintho extricemur, *Aradnæum filum* mihi necdum videtur præsto esse.

Quan-

Quantamcumque vero difficultatatem in ſimilibus ſolvendis reperimus, non minus tamen inde convincimur inflammationes in noſtro corpore dari, a cauſis, quæ ſedem procul ab illa inflammationum remotam occupent, inferreque necem poſſint: modi interim, quo fiant, viæ, quam capeſſant; rationeſque, qua in ſtadio puro inflammatorio longe ultra conſuetos durationis Inflammationum terminos, ſeſe continuent, perpetuentque, penitus ignari.

Juvenis noſtri vitam utrum Inflammatio abſtulerit, an Lumbricus, ſupra inquiſivimus; poſtremum probabilius eſſe rati. Etenim quod in vita dubioſum erat, quia frequenter obſervatur, an de Coli, a Vermibus dolentis, altiore flexu, dolor dextro, eoque inferiore Thoracis in latere, non naſceretur; hoc falſum eſſe totius hujus Inteſtini tractus, longe infimiore ſede in cadavere deprehenſus, manifeſto arguit. Mors nec opinata autem, quæque ſociata ſecum ſymptomata habuit, ut a Vermibus verius, quam ab inflammatione, acciderint, pag. 68. haud citra magnam veriſimilitudinem confecimus. Sed pergamus in Vermium, Verminoſæque febris indiciis.

Quarto. Lumbricorum indicia, una cum reliquis eorundem ſignis, a frequenti ac ſæpe inani tuſſi deſumuntur: quamquam *Galenus in Comm. Epid. VI.* paulo forte glorioſius, jactet ſe *millies* abſque ulla tuſſi lumbricos, os ventriculi infeſtantes, animadvertiſſe. Hanc tuſſim aut modicam, vehementemve, crebram, raramve, ſiccam vero plerumque, in Diatheſi verminoſa, adſit febris, nec ne, deprehendimus. *Galenus in Libr. VI. Epid.* ad Hæc *Hippocratis* verba: Θηζιώδης βήξ. *tuſſi ferina, maligna*, ſcribit quoſdam Interpretes hujuſmodi tuſſim intelligere ſiccam, quæ Lumbricis ad os Ventriculi ſurſum repentibus excitetur: „ „ quod ſi revera ita accidere compertum fuerit, in-

„ quit,

„ quit, nulla prorsus quæstio esset: sed millies absque „ ulla tussi Lumbricos, os Ventriculi infestantes, vi- „ dimus. „ Quosdam etiam ad Tabidorum tussim accommodare, quoniam his, ut feris, ungues incurventur. Alios etiam pro tussi maligna κακοηθη, in quam sententiam & inclinat *Galenus*; ac si *Hippocrates* hic intellexisset tussem malignam, perniciosam, quæ nec abscessum promittat, nec coctionem. Vide *Charterium* hic, nec non & *Tom. ejus IX. pag.* 405. & 406. Hanc tussim non miramur; ab affectis & Intestinis, & aliis remotis a Pectore Partibus, eandem experti. Doctissimus *Pfaffius N. A. N. C. Vol. II. Obs. XII.* in Inflammatione, atque Gangræna Intestini, ægrum notat adeo violenta tussi exagitatum fuisse, ut sputa cruenta excerneret. *Albinus Acad. Adn. Libr.* 2. *cap.* 8. Militis a se pluries explorati historiam habet, qui Colon Intestinum sinistro in latere in prælio *Rameliensi* vulneratum sic fuerat, ut XX. postmodum annis adhuc ostenderet *Albino* factitiam suam vulneris in loco Alvum, cum tunicæ villosæ prolapsu æque superioris quam inferioris Intestini portionis, quemadmodum eleganti tabula nobis depictum reliquit. Quod autem notandum in Milite, nulla tussi aderat Intestino latente, ejusque apertura clausa; aderat autem & frequens, & vehemens, quoties Intestini sive alterutra, sive utraque portio, ablato operculo prolaberetur foras. Nosque idem prorsum in femina observavimus anno 1762, cui Intestinum, ut videbatur Ileum, suppuratione & gangræna una cum toto inguine patefactum; quam feminam usque ad incipientem vulneris consolidationem molesta tussis quatiit. Tot igitur exemplis aliunde captis, comprehendimus facile, quo pacto & Vermes, & Sordes, in tubo intestinali latentes, excitare tussim queant. Ventriculi tussim Practici, & merito quidem, notant; eandem experti restaurato Ventriculo exulantem. Inter varias oppositasque tusses infantum, puero-

rum,

rum, & nonnunquam adultorum, convulsivas, species una est, quam emetico prudenter repetito, tollas. In Utero, in Vesica urinaria, latentibus; quæ irritent, causis, annon pares habemus tussium observationes? Nunquam violentiorem perseverantioremque tussim vidi, quam Puerperæ cujusdam: nunquam etiam vidi tussim citius perfectiusque sanatam, quam in illa; corpore oblongo calloso pudendis expulso. *Rat. Med. Tom. VII. Cap. VI.* Juvenis porro noster tussi sicca laboravit prioribus novem diebus morbi; ad 10. ad 23. nihil omnino; a 23. ad 30. parum; a 30. ad 37. diem, qui & mortis fuit, ne tussivit quidem.

Quinto. Indicia vermium petuntur a Pulsu inconstante, remittente, intermittente, quem cum Vermibus semper observavit *Solanus*; vel etiam a pulsu debili, ac veluti deficiente. Hic pulsus tot modis peccans a Scriptoribus Medicis sæpe notatur. In verminosa febre a supra laudato *Pedratto* descripta „ Pulsus non „ ut in Pleuritide solent, duri, tensive; humiles erant; „ parvi, inæquales. „ In praxi solet nobis talis observari; sic tamen, ut nihilominus aut parum peccantem, aut perfecte sanum, tam in pueris, quam in adultis, crebro observemus: & e contrario pulsus tam pravos, quam ii dicuntur Verminosorum, in compluribus aliis morbis, Vitalium potissimum partium, nec non & Naturalium, invenerimus. Sed, quemadmodum Auditores meos frequenter monere soleo, jamque in XVII. annum illis repeto, ne ex descriptis pulsibus concludant Vitalium Viscerum aut inflammationem; aut hydropem, aut aneurusma, aut deuteropathicam a Viscerum abdominalium vitio affectionem; neque etiam ob pravorum horum pulsuum absentiam, negent recensitos Vitalitatis morbos adesse: ita quoque eosdem moneo, ratione vermium; quos eum pulsu enarrato adesse, quos iteratissima experientia abesse, sic mecum norunt, ut subdubitare de hujus Observationis veritate non possint:

Unde

Unde alia signa vocari in opem oportet, quæ vel cum pulsu collata, vel absque eodem, quandam constituant morbi verisimilitudinem. Nostri utique Ægri verminosam fœturam nunquam quis ex pulsu conjecturasset, cum inflammationis triplicis temporibus durus ille, celer, plenus, æqualis, & aliquoties minus liber, esset; intermedio autem tempore ut plurimum vel naturalis esset per omnia, aut modicam cum æqualitate celeritatem haberet; postremisque tantummodo morbi diebus leviorem aut temporis, aut rhytmi, aut utriusque, inæqualitatem, ad motum corporis potissimum, & ad loquelam, referret. In verminosa præterea febre, quam longe, lateque, *Tomo XII. cap. II. & III.* conscripsi, pauco modo tempore Auditores mei pulsum, quem verminosorum ajunt esse, deprehenderunt.

Sexto. Sudor Verminantium symptomaticus describitur subfrigidus esse, & copiosus, prævioque rigore passim carens; ita tamen, ut nonnunquam incompositi rigores intermisceantur; subacidus denique, & una subputridus. In Constitutione Epidemica *Ferrariensi* ille sudor observatus non est. Neque in Juvene nostro, neque in aliis, quos vidimus, non paucis, visus unquam: unde constat firmum morbi criterium non posse ex sudoribus peti.

Septimo. Et cum sudore exanthemata notantur, generis petechialis præcipue, erysipelatosique. Exanthemata aut hæc, aut miliaria, neque noster æger habuit, neque *Pedratti Ferrariensis*, neque quiscumque febre verminosa in nostro Nosocomio decubuit.

Octavo. Mucidam in hoc morbo alvum describunt, frustillatim missam, ramentosam, eamque *levantem*; quæ vero naturalis, vereque cocta prodeat, eam calamitatum afferre augmentum, Metastasin versus caput, Recidivas ingerentes. Dysentericam alii, & sanguineam, adstrictam quoque scribunt, & tenesmodeam. Verum ut in prioribus, ita & variant observata hic

Me-

Meretur *Liber VI. Petri Foresti* in hanc materiem legi, cum ob epidemiam verminosam, tum ob symptomatum varietatem, quibus alii aliis affligebantur, diversumque omnino experiebantur eventum. Juvenis noster & *levantem* dictam hujusmodi alvum diuturniore tempore habuit, & periit. Ab alvo quacumque, cum Vermium copia emissa, notabatur inflammationis incrementum in *Ferrariensi* Epidemia.

Nono. Urinas limosas memorant, & jumentosas, & inconstantes, & hypostasin habentes vel præmaturam, vel potractiorem, albidas plerumque, vel ex albo flavescentes. Ut sæpe verum hoc, ita non raro fallit. Neque accurate semper Autores urinæ notarunt naturam, sive ejusdem non recordati, quemadmodum in *Pedratti* relatione; sive obiter modo, raroque, ut *Petrus Forestus*. Quam parum vero certi hic statuere possimus, & in Juvene nostro, & in casu mox ex *Tomo XII.* relato, liquet abunde. Ita quidem ut, quod unus alterve Medicus seu privatis in ægris, seu in integra etiam epidemia, notavit, id non semper in consimilibus morbis obtineat.

Decimo. Dolor describitur vagus nunc lateris, nunc imi ventris, non raro acerbus atque spasticus. Hæc observatio frequentis exempli est. Quidam & Coxarium notarunt dolorem, plures minime, nos nunquam.

Undecimo. Faciei livorem notant, eumque potissimum in ea cellulositate laxiore, quæ oculis subsidet: hanc multoties experti in verminosis sumus, sæpe tamen desideravimus.

Duodecimo. In oculis splendorum scriptores notant, deinde squallorem, collapsumque, una cum eorundem veluti demersione; Albi oculorum livorem, visus Hebetudinem, Amblyopiam, Amaurosin, minorem, majoremque Pupillæ amplificationem. Licet haud raro hæc signa fallant, ea tamen adesse frequenter, non est quod diffiteamur. Si magni *Winslowi* descriptionem Ner-

vi paris sexti admittamus, ad quam comparandam, confirmandamque, plus viginti annorum impendit: si clarissimi *Parisiensis* Medici *Petit* lucubrationes, factaque in hanc rem experimenta laudemus, concinnam quandam, elegantemque adipiscimur hæc phænomena explicandi rationem. Vid. de hac re *Rat. Med. T. III. Cap. II. & Tom. X. Cap. I.* Ex omnibus, quæ ibidem recensetur, cum experimentis, tum argumentis, constat Intercostalem Nervum non a communi Nervorum in Encephalo origine, ut vulgo creditur, tabulisque exprimitur, nasci; sed a Gangliis potius, quæ a summa spina Vertebrarum, ad imam usque, numerosa locantur, totidemque veluti cerebra constituunt, ex quibus omnibus totidem habentur Nervi Intercostalis, seu Sympathetici magni, origines.

Ex quibus demum, quemadmodum olim mirandorum, *Colicæ Pictonum* phænomenon plausibiliorem priore caperemus rationem; ita quoque nunc, ab affectione verminosa Abdominis, intelligimus effectum eundem sequi posse, qui spasmodicas gignat & in Thorace, & in nervorum in Encephalo cum origine, tum decursu, affectiones; mirabilesque, atque inter se mutuo oppositas, calamitates. Unde simul constrictio Colli, Aphonia, Linguæ aut spasmus, aut Paralysis, stridor Dentium, Narium pruritus, efflorescentiæ Labiorum, in jejuno ventriculo Ptyalismus, Pupillæ arctitudo, frequentiorque ejusdem amplificatio; splendor, collapsusque cum squallore Oculorum, Amblyopia, Amaurosis, & quidquid malorum in capite, sensuumque organis, observatum fuerit, extricantur, faciliusque explicantur. Signa profecto hæc in aliis alia, communissima in Verminosis sunt. Sæpe Oculus lumbricos nuntiat, os, nares, dentesque. Juvenis noster in prima recidiva, propeque mortem, pupillas horrendum in modum amplificatas ostendit; majorque Verminosorum numerus, ut egregius *Monro* advertit quoque, lum-

bricos hoc ſigno loquitur. Eſtque in ſignis frequentiſſimis albi Oculorum livor.

Decimo tertio. Recenſentur, ut Vermium ſymptomata, Convulſiones, Epilepſiæ, Apoplexiæ, Paralyſes, Coma utrumque, Stupor, Catalepſis, Leipothymia, ſtridor dentium, Hæmorrhagia narium, Aurium bombi ac Suſurrus: quorum expoſitionem, ſecundum *Winslowianam*, *Petitianamque* ſententiam, mox dedi. At diffitendum tamen non eſt deeſſe horum omnium, aut omnia, aut pleraque, idque ſæpius, licet nihil ſit exiſtentibus in corpore lumbricis evidentius.

Decimo quarto. Numerantur varii præterea affectus aliarum partium: Ventriculi Nauſea, Ptyaliſmus, Roſio, Vellicatio, Ructus, Flatus, Pondus, Vomitus, Inappetentia, Canina fames; ſummus ſæpe; mox vero ſatiatus, Appetitus: Venter inflatus, durus, torminoſus, cum aut adſtricta Alvo aut Diarrhœica, aut Dyſenterica, aut Mucoſa, aut Sanguinolenta, aut Ramentoſa. Stranguria præterea, Dyſuria, Iſchuria: quorum omnium plerumque nonnulla, aliis alia, alio atque alio modo, adeſſe ſolent, facileque explicantur.

Decimo & Quinto. Notant Medici articulorum in Verminoſis tumorem pollicis præcipue, digitorumque. Pluries hanc in illis vidi, haud vero in illis ſolis. Obſcurus textus *Hippocratis* ſpectat huc forte, Coac. n. 467. *Ἐν Λειεντερικοῖσι μετὰ Θηρίων ὀδύναι στρόφῳ λυομέναι, τὰ περὶ ἄρθρα μετεωρίζουσιν ἐκ τούτων λέπια ἐξέρυθρα φλυκταινούμενα ἐφιδρώσαντε. οὗτοι διαφοινίστονται οἷα μάστιξιν.*

Θηρίον, Θηριώδης, incertum omnino utrum ad Vermes, an ad morbi, ulceriſve, malignitatem, pravitatemque, referre oporteat: cum multis videatur utrumque non paucis in locis *Hippocrates* intellexiſſe. Videatur hic in *Oeconomia ſua Foëſius.* Si in priore ſenſu textum interpretari velimus, eum ſic reddere cum

Char-

Charterio debemus: „ In Lientericis cum animaculis „ dolores, tormine soluti, partes circa articulos tume- „ faciunt. „ Etiam *Foësius* & hic & ad *n.* 285. & 2. *Epid.* στρόφους intellegit Intestinorum ea non inepte tormina esse, quae excitentur aliquando a Lumbricis.

Si proinde hoc textu *Hippocratem* de Lumbricis agentem opinamur, duo ab eo notata advertimus, quae in Verminosis aliquando apparent: Articulorum digitorum sive vagos, sive diuturnos, sive perennes dolores, & efflorescentias: quam observationem quoque se fecisse testatur *Ill. B. Van Swieten Comm. ad* §. 1364.

Si addideris denique Autunni ad Vermes dispositionem, febrisque verminosae exacerbationem vespertinam, ac peculiaris naturae sive caracteris foetorem oris, sudoris, excrementi; tandem Abdominis tumorem aut durum, aut nonnunquam tympaniticum; habebis in hisce XV. notis signa Vermium humano in corpore latentium Sexaginta & ultrā.

§. II. Ut porro nostram de his omnibus sententiam proferamus, primo cum omnibus exercitatis in Praxi Medicis ingenui fatemur, quemadmodum ex observatis pluribus, interque sese collatis cum Vermium, tum febrium Verminosarum signis, in Diagnosi minime fallimur; ita non rarius contingere, ut horum aut pauca duntaxat adsint, aut omnino nulla indicia, eaque saepe cum insignioribus aegritudinem aliarum symptomatis intermista sic, atque confusa, ut lumbricorum potius nos plane lateat. Tandemque non perraro accidere, ut ex paucioribus numerosioribusve signus, quorum operosa data enumeratio fuit, lumbricorum praesentiam, morbique ab iisdem originem, statuentes, toto coelo erremus.

II. Vermium in humano corpore frequentiorem esse morborum cum acutorum, tum lentorum, causam, quam vulgo credatur: ita ut persaepe contingat in cu-

ra morborum Medicum tamdiu inutilem, damnosumque ægrotantibus esse, donec vel ipse, vel qui ipsi suffectus fuerit, infortunioque prioris sapiens, antihelminticam curam admoveat, ægrumque sanet.

III. Causam morborum justo frequentiorem ab Insectis petere plures. Pathologiam verminosam volo, cujus Patroni, *Lancisio* referente, *Varro*, *Columella*, & *Palladius*, primis christianæ Æræ sæculis erant; cujusque labentis, imo oblivioni traditæ, Restauratores valentissimi fuere *R. P. Athanasius Kircherus*, Jesuita doctissimus, acutissimus Philosophus *Nicolaus Kartsoeker*: inter Medicos autem *Christianus Langius*, Professor Lipsiensis, in *Op. omn. anno* 1688. editis; tam in sua Thesi de Morbillis, quam in sua Pathologia, quam *animatam* appellavit. C. F. *Paullini* de morte verminosa, 1703. Annisi hi omnes sunt universalem hanc doctrinam reddere: Vermibus vel complurium, vel cunctorum morborum tribuere originem: venerandam Antiquitatem vix aliam morborum genetricem agnovisse, vix aliam sequentes ætates, audacter statuentes.

An non qui nimis probat, probat nihil? Rationes eorum primo perpendamus ordine: integrum deinde sit cuique, qualem præferat, sententiam amplecti.

Ut ergo ab *Hippocrate* incipiamus, quem in Pathologia ab Insectis formanda celebrem esse velint, num vere scripserint, inquiramus. Quid enim quotiescumque *Hippocrates* περὶ τȣ͂ Θηρίȣ verba fecit, animalcula passim intellexerit, ex textuum conplurium collatione non apparet. Θηρῖον. Θηριωδες, Θηρία, Θηριωδὴς βὴξ, Θηριώδεες παρακρȣ́σιες, Θηριώδης διαιτὴ, Θηριώδες φθινόπωρον, τά ἐμȣ́μενα ἐπὶ τȣ͂ τοισι, ϗ θηριώδεα. Θηριώδης παραφροσυνὴ, ἕλκος θηριώδες, &c. frequenter scripsit *Hippocrates*; at vero plerisque in locis vermes indigitare non videtur. Primo enim si fidum illius interpretem *Galenum* consulamus;

mus, vix unus alterve textus est, in quo illum vermes per τὸ θηρίον intellexisse censet. Nolo longiore recensione tædiosus benevolis esse Lectoribus; qui vero mecum *Galenum* ad omnes hos textus presse sequitur, potissimum vero in *Comm. ad Sect.* 2. *Libr.* 2. *Epid.* & ad *Coacar. No.* 467. illa vera esse, quæ assero, capiet.

Deinde *Galenus* ad plerosque horum textuum opiniones variorum Medicorum, hasque inter & illam de Vermibus, refert: quam posteriorem aut simpliciter narrat, aut rarius admittit, aut passim rejicit, confutatque.

Præterea dubitare licebit num *Hippocrates* de Lumbricis vel cogitaverit, dum tot Operum suorum in locis τὸ θηρίον &c. scriberet Mecum procul dubio dubitabunt ii, qui animadverterint illum de Vermibus proprie differentem, non hanc θηρίου vocem, sed vermium proprium nomen adhibere & appellare ἕλμινθας, easque dividere in στρογγύλας, πλατείας seu ταινίας, & ἀσκαρίδας. Videatur *Libr. IV. de Morbis Libr. III. Aphor. No.* 26. *Lib. Prognost. Coac. Prænot.* &c. Hisce enim in locis de Vermibus expresse acturus, non adhibet vocem θηρίου, sed lumbricorum, quos sua singulos describit specie: ubi vero scribit θηρίον &c. Lumbricorum neque generale nomen, neque speciem memorat, neque etiam propria, communiaque, vermium symptomata: quamobrem *Galenus*, quique Autores illum, Interpretesque, sequuntur, fatentur de longe aliis morbis agentem posse credi *Hippocratem*, quam de iis, quos Lumbrici generent: volentem vero, ut revera de lumbricis illum agere intelligamus, distincte loqui, & ipsa symptomata, in morbo apparentia, singulis singula suis tribuere vermium speciebus.

Argumentum hoc ita stringere convincereque videtur, ut nisi refutetur illud, nobisque eripiatur, haud

 facile

facile videamur admissuri eorum assertionem, qui illum voce τῦ θηρίυ animatam potentiam intellexisse autument. Itaque θηρίον potest quidem latiore sensu humani corporis insecta significare, at vero determinato *Hippocratis* sensu, de vermibus de industria agentis, eos minime significat. Θηρίον *Hippocrates* proinde communi priscorum more intellexit, quo Latini *ferinum*, *belluinum*; quod quidem dum de Feris, sive de Belluis sermo fit, ad Belluas referendum est, minime vero quando metaphorice millies rebus longe aliis adplicatur. Sic quando *A. Gellius* 19. 2. de iis scripsit, qui *belluinis voluptatibus sese dederunt*; quando ibidem loquitur de *ferinis voluptatibus*; quando *Ovidius L. Trist. V. eleg.* 12. ait.

Omnia barbariæ loca sunt, vocisque ferinæ:
Omnia sunt Getici plena timore soni.

Quando *Seneca Tract. de Clementia* scripsit *de ferina hominum rabie*, sanguine & vulneribus aliorum gaudentium: non proprio sed metaphorico sensu hæc intelligimus. Imo ipsos Græcos sic rem intellexisse ex Aristotele liquet, toto suo *primo Ethicorum septimi libri capite* ostendente, τὴν θηριότητα, esse veluti oppositum τῷ ἡρωϊκῷ, κ) θείῳ: & quater hoc ipso capite resumit hanc vocem, hoc sensu, & tandem „ Atque „ eos homines, inquit, qui vitio ceteris antecellunt, „ turpi atque infami nomine feros & immanes appel- „ lamus. Vid. *Lib. V.* similia. Annon ipse *Tullius* sic est interpretatus græci Autoris verba: τῷ ἀνωδύνῳ θηριῦσθαι τὸ σῶμα, κ) τὴν ψύχην: immanitatem in animo; in corpore stuporem contingere? *Aretæus Cappadox*, qui phrases multas, jonicamque dictionem *Hippocratis* complexus & imitatus est, semel modo reperitur in totis operibus usus τῦ θηρίυ voce; non profecto in sensu verminoso, cum nullibi ipsi unquam de Vermibus sermo sit; sed eo, quo Græci Scripto-

res,

res, quo ipse *Hippocrates*, quo Latini Autores, suum *ferinum* intellexerunt: ὡρῶν τὸ θηριῶδες μετόπωρον. Videatur ad finem *Cap. XIV. Lib. I. Diut. morb.* de Liene: ubi certe de Vermibus loqui in animo habere non potuit, sed de Autumno, Tabi Lienari perniciofo, calamitoso, ferino.

Itaque Hermintologiam *Hippocrates* relinquit nobis, sed moderatam, sed longe, quam Scriptores Herminthophili contendunt, parciorem. *Galenus* licet Verminosorum plures, quam *Hippocrates*, vidisse videatur, ut ex textu ejus prius laudato confici fors posset, pluribus tamen in locis contradixit his, ut constitit, qui nomine τοῦ θηρίου Lumbricos ab *Hippocrate* intellectos fuisse contenderent. *Aretæus* unica modo vice hanc vocem, utique haud verminosa intentione, adhibuit; Vermes forte omnium Medicorum, quorum lucubrationes ad nos devenerunt, rarissimos contemplatus; siquidem in recensendis morborum quorumcumque causis, nullibi eorundem meminit: id quod eo vehementius miramur, quia non modo & *Joniæ*, & aliarum græcarum Nationum morbos tradidit, sed *Ægyptiorum* etiam, & Syrorum, *Syriæ* potissimum *Cavæ*, quæ ob id *Cœlosyria* appellatur: nisi forsan ea sui præclari Operis, quæ plura edacissima ætas invisit nobis, nonnullam Herminthologiam comprehendissent. Quantum vero ex iis, quæ operum ejus nobis conservata lætamur, colligere datur, neque Lumbricos tanta in praxi vidit, neque vix morbos, quorum natales ipsis deferret.

Atque hæc de *Hippocrate*, *Galeno*, *Aretæo*, Antiquitatis venerandæ principibus scriptoribus, suffecerint, ni fallor, ut ii, qui universam Pathologiam, priscæ Medicinæ Patrum autoritate helminticam tradere gestiunt, abunde refutentur. Incumbit porro illis experimentorum vi, crebritate, evidentiaque, probare assertum. Equidem, in multis seu acutis, seu chronicis

in morbis, animalem potentiam probarunt, eique saeventem non infrequenter deprehenderunt popularitatem. Cutanei, subcutaneique morbi, ulcera varii cum generis, tum loci, sordibusque squalentes ad nonnulla humani corporis loca plagae, multigeneres Vermes, multigena conspectui ipsorum exhibuere Insecta: an vero ideo morbos quoscumque generant Insecta, Vermesque? Vidimus morbos, vere inde genitos a Medicinae descriptos curatosque Parentibus; non autem eo, quo hi, sensu modoque, velint. Si in scabie, si in ulcere, repererunt insecta, haec non causas mali, sed mali habuerunt effectus. Noverat *Achilles* Vermes in vulneribus gigni, qui inibi ovula deponerent: quare & occisi *Patrocli* corpus pallio suo contegebat, donec deferri inde cadaver, honorificeque humari posset, ut pulcre notavit *Homerus*, *Iliad. XIX.*

Μῆτερ ἐμὴ,
ἀλλὰ μαλ. αἰνῶς
Δείδω, μή μοι τόφρα Μενοιτίȣ ἄλκιμον ὑιὸν.
Μυῖαι, λαδδῦσαι κατὰ χαλκοτύπȣς ὠτειλὰς
Εὐλὰς ἐγγείνωνται, ἀεικίσσωσι δὲ νεκρὸν.
Ἐκ δ' αἰὼν πέφαται, κατὰ δὲ χρόα πάντα σαπείη.

Mater mea,
perquam graviter
Timeo, ne mihi interea Menoetii fortem filium
Muscae ingressae, per aere-inflicta vulnera
Vermes intus generent, deturpentque cadaver,
Vita nempe adempta est; inque corpore omnia putrescant. (1)

Ne-

(1) *Historia naturalis videtur longe perfectior* Homeri, *quam* Aristotelis, *fuisse temporibus; cum hic ex putre-*

Neque in mortuorum tantummodo, sed etiam in vivorum ulceribus, natos inde vermes intelligimus. An igitur ideo demonstrata sententiæ veritas est, ulcus per se vermibus scatere asserentis? Constitit sæpe ut oculis sive nudis, sive microscopio illustratis, insecta patuerint, morborum cutaneorum origines: ast vero quotiesne vel Lyncæis oculis, quantumvis vividæ imaginationis vi animatis, horum videas prorsum nihil? Igiturne quod detexeris in nonnullis, quod in pluribus detegere nequiveris, id bono animo, sapientique consilio, de tota rerum universitate affirmabis?

Sed omnes morbi, ut ajunt saltem, æque interni, quam externi, æque acuti, quam lenti, neque certius curantur, neque maturius, neque etiam tutius, quam eo genere rerum, quas insecta fugere, necare, pellereque, usu novimus. Sane si hoc ipsis largiremur,

putredine vermes gigni, ille ab ovulis insectorum illos nasci censuerit. Non semper scientias auget ornatque sæculorum lapsus. Homerus *quatuor sæculis forte anterior* Aristoteli, *rectius illo hac in re sapuit. Quod eo magis miramur, quia* Homeri *fama, veneratio, & autoritas, apud Græcos tanta erat, ut Urbes septem loci ejus natalis honorem sibi aliæ præ aliis vindicarent; & ut clari iis sæculis scriptores, ipseque* Aristoteles, Homeri *versibus opera sua confirmare ornareque se crederent. Obstupescimus & hunc* Aristotelicum *in* Galeno *errorem; qui tamen, innumeris vicibus, suis cum Commentariis, tum Dissertationibus, sententias interposuerit* Homeri. *An.* Achillis *sive* Homeri, *de ortu vermium sententia, quam Dea* Thetis *confirmabant postea* Achilli, *non elucidabat magis naturalem historiam, quam illa vermium genitrix putredo, ficta* Aristoteli?

mur, nihil inde roboris ipſorum conſequeretur opinio: ſi enim ſucci ſaponacearum herbarum, fructuumque, & lentiſſimam Melancholiam, & rapidiſſimam inflammationem, ex æquo curent, an ibi acrem rodentemque humorem, & piceum, & amurcoſum, frigidumque, ac tranquillum; hic humorem æſtu motuque validiſſimis compactum, ac conſolidatum, cauſas proinde oppoſitiſſimas, quia tamen eodem præſidiorum genere tolluntur, unas dicam, eaſdemque? An quod Ferrum, Fonteſque ferrati, nimios menſes mulierum alteri ſiſtant, parciores provocent alteri, cauſa utriuſque oppoſitiſſimi morbi unam eandemque vocem, quod idem remedium curet utrumque? Profecto non differret ultra a vaſorum ſtrictura eorundem laxitas, non ab humorum tenuitate ſpiſſitas, non a laudabili cruore ejus mucoſitas & acritudo. Numquid quod *Peruviæ Cortex* torpidos augeat humorum motus, impetuoſioreſque moderetur, ideo hoc utrumque diſtinctiſſimum humorum vitium, unum tamen idemque habebo?

Imo, inquiunt, varii generis, variæque prorſum indolis, inſecta, vel eorum ſeminia, in humani corporis internis atque reconditis latitant penetralibus, quæ varias oppoſitaſque ingenerent corporibus calamitates: ſic, ut ſint, quæ attenuent liquida; ut ſint, quæ condenſent: ut reperiantur quæ ſolida & laxent, & firment: ut hæc motum humorum rapidiorem concitent, illa rurſus ſufflaminent: ut alia tale corporis viſcus infeſtent, alia aliud, & ſic porro. Si etiam hoc, faciles per omnia, ipſis concederemus, utique Sulphure, Mercurio, Marte, Jove, Tabaco, Amaris, Cæteriſque, quæ vermes aut pellere dicuntur, aut perimere, non credent, opinor, morbum diſcrimine gravem, quem genuiſſent inſecta, una ceſſaturum, ceſſante, quæ generaſſet illum, cauſa. Id inde tamen conſequeretur neceſſe eſſet, ſi ut antihelmintica proprie dicta in

cta in morbis vere verminosis agunt, ita quoque hæc in ceteris ægritudinibus operarentur.

Verum & Aquam antihelminticam esse inquiunt, & Nitrum, & Mel, Sapasque omnes Horæorum fructuum, Radicisque Graminis, Taraxaci, &c. verbo quidquid unquam vel in Chronicis præscribitur, vel in Acutis morbis, hoc omne fere & antihelminticum appellant, & ad vermium corrigendos effectus, idoneum habent. Hac tamen assertione nihil aut a veritate alienus est, aut experientia diffidentius. Quotiesne enim incolumes persistunt in corpore Vermes, dum interea & febres, & obstructiones, & inflammationes, tollimus fortunate? Et cur Inoculatores ita lamentantur eorum puerorum interitum, qui inoculati vermibus infestantur, licet tota illorum sive præparans, sive concomitans, sive absolvens Methodus, & communia vermifuga Acutorum, & specifica, abunde largiatur?

Igitur quod hujus Paradoxæ opinionis Fautoribus primum concesseramus, ut eos audiendi, eorumque argumenta expendendi præsto facultas esset; adeo parum hanc stabilivit fulcivitque opinionem, ut ab ipsis fundamentis diruta videatur: repetitis vero quæ ad tempus concessa fuerant, plausibile nihil ultra in illa manet.

Ast vero monui præstantes Medicos existere, qui Pathologiam animalem arctiores intra limites coercentes, sic quidem ut fateantur classem morborum haud contemnendam esse, quibus formandis Insecta symbolum non conferrent; Verminosorum morborum classem tamen propter unam, alteramve ejusmodi Epidemiam, extendant ita, amplificentque, ut demum maximam morborum partem Vermibus, ceu eorundem genitoribus, adscribant; suarumque partium Sapientissimam Antiquitatum fuisse immerito, ut jam patuit, arbitrentur. His autem dudum absoluta, repetitaque, respon-

ſio fuit. Priſci longe parcius de potentia animata ſcripſerunt, quam hujus ſectæ clari Patroni rentur; ut multo gravis argumenti genere conſtitiſſe putem. Conſertque maxime ut notent hi ipſi, minus celebrem, minuſque amplificatam hanc Pathologiam futuram fuiſſe, ſi multi nobis Vermes imaginarios, fictos, falſoque pro talibus habitos, non tradidiſſent. Ne longus hic ſim, mitto Lectores ad *Cl. Morgagni Epiſtolam XXIV*, cujus pars potior ad id, quod hic profero, probandum impenditur. Et Cl. Gottingenſis Profeſſor *Murray*, in Diſſertatione æque docte, quam nitide, conſcripta *de Vermibus in Elephantiacorum ulceribus*, ubi retuliſſet ſe deceptum a Matre fuiſſe, quæ ſibi pro Vermibus filiæ ſuæ inteſtinalibus, eos monſtraſſet, qui a ſpurcitie pavimenti, ad lectum collecta, nati in Matulam, Excipulumve, ſub lecto irrepſiſſent, ut poſtmodum conſtitit, candide ſubjunxit; Quibus ea de „ cauſa paulo diutius immoror, ut inexercitati in ejuſ„ modi obſervationibus cavere ſibi a fallaciis diſcant, „ quibus maximam partem narrationum quæ in *Actis* „ *Nat. Curioſorum*, & aliis in locis, de vermibus ex„ tant, adſcribendam cenſeo. „ Digna hæc diſſertatio eſt, quæ tota legatur, hanc materiem mirifice illuſtrans. Sic me ipſum deceptum opinor a Medico fuiſſe, qui mihi vivos vermiculos in ſanguine humano ſe contuitum eſſe retulerit; cum poſtea reſciverim, & poſtera modo luce hos Vermes tandem ſub conſpectum veniſſe, & locum in quo cruor aſſervatus eſſet, frumentaceis ſcatuiſſe inſectis. Citiſſime enim, poſſe excluſa ovula in Vermes abire, paucaſque intra horas incredibiliter grandeſcere, *Swammerdammiana*, *Rhediana*, & *Reamuriana*, fidem faciunt. Legendus hic *Steeneveld de ulcere verminoſo*, quod opuſculum, belgice conſcriptum, *Bidlous* latio donavit. Invenitur inter ejus XXVIII. Opuſcula, quæ *Bidloi* Opera omnia Anatomica-medica componunt.

Cau-

Cautione certe opus est in legendis Autoribus, qui aut decipi se passi sunt, aut ipsi sæpe plus æquo scripserunt. Dum Verbi causa in *Boneti Sepulcreto To. III. pag.* 227. legimus anno 1663. in Rep. *Veneta* plus sex hominum millibus maligna febre correptos fuisse, Cadaverumque apertura incredibilem vermiculorum minimorum copiam inventam esse non ideo cum *Velschio*, hujus & sequentis historiæ Autore, concludam, quæ *Venetos* tenuerit, verminantem Epidemiam fuisse: ex ipso namque Autore patet vix ultra unum alterumve apertum fuisse Cadaver: „ Horum *nonnulli* cito inte„ ribant, inquit, *Ceteri* brevi evadebant. „ Si ergo inter 6000. ægros *nonnulli* perierint modo, *nonnullorum* tantum inspici cadavera potuerunt; ex iis autem nonnullis ad numerum 6000. hominum id referre velle, nec tutum, nec sincerum est.

Video ibidem in *Sepulcreto* notatam apud *Seguisianos* anno 1675. Epidemiam, qua *Burgi* uno mense homines ultra sexcentos perirent, & in qua cuncti, nemine excepto, vivos Lumbricos egererent: mortalitatem autem actutum cessasse, dato ægrotantibus ea de causa vino, quod Lumbricos vivos, vino irroratos, citissime mori, casu detectum esset. Fides Autoris non parum suspecta fit, cum illis ultra sexcentis, qui post ejectos lumbricos vivos perierint, Medici antihelmintica aut dederint, aut non dederint, necesse sit. Non dedisse illos, ubi singuli ægri vermes ejicerent, credibile non est. Si dederint, adhuc incredibilius est antihelmintica nemini profuisse, quæ alias Epidemias verminosas egregie curasse legimus. Num adeo peculiare id Vermium genus fuit, ut Vinum solum ipsi specificum esset? An vero ipsius Epidemiæ genius is erat, ut sub finem collapsas nimium vires, & ni refocillarentur, omnino defecturas, vinum restauraret, sicque a morte præservaret hominem? Quid plura? Multa eorum, quæ Sepulcreto perhibentur, fidem superare

utcum-

utcumque videntur. Quis credet cum *Hercule a Saxonia* anno 1540. iu *Pannoniæ* quodam loco, in dies mille hominum periisse, Viperis Lacertisque, corpora eorum obsidentibus? Quis credat ibi alio tempore & a Viperis Lacertisque, & a Cerebro vermibus scatente copiosis, idque in febre pestilentiali, innumeros periisse? Quam rara est in peste Anatome? An etiam fidem non superat febris pestilentis historia, quæ anno 1637. *Burgundiam* afflixit, Cadaveribus & hominum & equorum nullam exhibentibus morbi causam, quam jecora scatentia Bufonibus?

Sed de hisce satis: qui plura amat, adeat Fontes ipsos. Merentur legi præter laudatos Viros, de Vermibus, Febribusque Verminosis, *Prosper Alpinus de Med. Ægypt. Joannes Maria Lancisius*, qui eruditissime hanc quæstionem tractavit *Lib. I. de nox. Palud. effl. H. D. Caubius*, in Pathol. *Marcus Antonius Ploneiz Medicus Viennensis*, haud minus eruditus, quam expertus, *de Contagio morborum idea nova*. Exp. Vir. *Van den Bosch* Medicus *Haga batavus de Epid. Vermin.* Posteriorum duorum hic Pathologiæ animatæ impense favet, ille impensissime.



SE-

SECTIONIS I.

CAPUT QUINTUM.

De terminando tempore quo perdurare Inflammatio non modo soleat, sed & possit.

§. I. *Dies quartus sæpe terminus Inflammationis est, secundum consuetam Naturæ Legem, at vero tot exceptiones hæc Lex habet, ut hac in re fere duplex statuenda sit. Et nostra id docuere observata, & plena inde sunt Opera Veterum. Exempla afferuntur ex* Hippocrate *multa. Objectionibus occurritur, quæ contra hanc ex* Hippocrate *desumtam observationem formari possent.*

§. II. *Non modo notarunt Veteres hanc Naturæ deviationem, sed & suas indicationes ad eam mutarunt. Ita &* Boerhaavii *sententiam de die quarto explicandam esse, jubent ejusdem* Institutiones.

§. I. INflammatio in verminoso Juvene post diem 37 morbi fere universalis reperta, occasionem huic Quæstioni dedit: Inflammationis externæ tempus passim trium, quatuorve dierum est, quorum ad finem aut in resolutionem tendit, aut in evacuationem Criticam; sin minus, abscessum, aliumve perniciosum exitum minatur. Estque etiam in internarum partium inflammatione communiter vera: sic ut tam apud Veteres, quam apud Recentiores Medicinæ Scriptores, ea Artis præsidia, quæ mitigandis auferendisque Inflammationibus admoveri solent, haud ultra quartum diem

diem admoveantur; ne vel turbetur morbi seu benigna, seu critica resolutio, vel suppuratio impediatur, neve insequuturus alioqui præcipitetur interitus.

Laudabilis lex ista, necessariaque est, antiquum obtinente Natura; at vero hac suum invertente modum, damnosa ægrotis atque exitialis fit. Non raro autem ordinem invertit Natura morborum. Morbi acuti inflammatorii crescunt aliquando ultra quartum diem in septimum, in undecimum, in quartum decimum, & ultra: ita quidem, ut vera humorum, solidorumque cruditas, continuantis tam per symptomata sua, quam per Sanguinis, Excretorumque phænomena, Inflammationis testis, aut in longiorem diem crescat, aut perseveret saltem; & ut demum intra pauciores pluresve dies alios perfecta Crisi; & crisi quidem eadem, quæ alias communi lege morborum die quarto, septimove judicare solet; Crisi tandem, quam integra sanitas excipit, judicetur. Hoc porro non perraro contingere supra monui: tanta quippe datur ab observatione generali discrepantiæ frequentia, ut Auditores mei admodum crebro observaverint, in seros admodum acutæ ægritudinis dies, dispositionem missi de vena cruoris φλογιστικωτάτην, insignesque summæ per omnes functiones Cruditatis effectus.

Neque hæc priscos latuisse video. Principio enim Morbos acutos, potissimumque inflammatorios, accuratissimo fidelissimoque calamo exarantes, hanc inflammationis prolationem & diligenter adnotarunt, & scrupulose medicam monuerunt posteritatem. Obviam ubique testimonia veniunt, *Hippocratis*, *Galeni*, *Aretæi*, monumenta diligenter pervolventi. Jamque in ipso *primi Epidemiorum* exordio occurrit nobis epidemicæ febris ardentis graphica, dignaque *Hippocrati*, descriptio, quam non nisi aut 20. aut 40. aut 80. die bona crisis solvebat. Si attenti textum hunc, *Galeni* que in eundem commentarium, consulamus, percipimus dia-

the-

thesin inflammatoriam solito longe diutius extendi. Neque de inflammatione Phrenitica, quæ per id tempus observata, ad diem 11. aut 20. judicabatur, aliam formare nobis ideam possumus. Quemadmodum quoque idem censere necesse est de insequentis Hyemis cum Ardente febre, tum Phrenitide; qui morbus uterque die 11. imperfecto, 20. vel & serius, perfecto absolvebatur judicio. *Epicratis* uxori, si non ad 40. diem, saltem ad non multo maturiorem, inflammatio protracta apparet; *Cleonactidi* vix intra spatium temporis angustius; *Clazomenio* usque ad 16. aut 17. diem. Videturque is, qui *incalescens cœnaverat*, inflammationem in 11. diem, qui idem & mortis fuit, potractam habuisse. Qui in *Dealcis horto*, ad 24. diem usque. *Charion* ad 17. diem saltem; quæque in *foro mendacium* mulier cubabat, ad 14. diem inflammatione laborarunt. Sed & *Libr. III. Epid.* prolixior datur febris ardentis perniciosa historia, cujus stadii inflammatorii admodum producti indicia observes. Quidam in *Thaso*, natione *Parius*, die acuti morbi 120. moriens, notatur ab *Hippocrate* „ habuisse ab initio, ad finem, „ Alvum continenter lubricam, biliosam, multum hu„ midam, & cum subsisteret, fervidam, crudamque: „ Urinas perpetuo malas, Coma frequens, Insomnia „ cum doloribus, atque a cibis horrorem. „ Si a dierum numero tanto quosdam ἀπυρέτες detrahi oportere quis censet, concedere nihilominus debebit potiore morbi tempore adfuisse, perstitisseque, inflammationis, summæque cruditatis, signa non pauca; meritoque *Hippocratem* hæc verba ad calcem adjecisse: *continenter*, συνεχέως, *adfuit ardens febris*. In Historia *Mulieris in Thaso*, vix illum refutare possem, qui illi perennantem in 80. diem inflammationem contenderet; neque *Galeni* Commentarius, summam morbi in 80 diem cruditatem notantis, aptum mihi suppeditaret refellendi

argu-

argumentum. *Pythioni* profecto inflammationis stadium in 10 diem, ipsi fatalem, extensum fuit. Nihil autem historia *Anaxionis* convincentius: propter inflammationem pleuriticam *Hippocrates* die octavo Venam illi tutudit; postquam dolor quidem *minuebatur*, *ξυνέδωκαν μὲν οἱ πονοι*, in Pleura vero ac Pulmone summa cruditas perseveravit, minimum ad 17. si non ad 27. diem, nec perfecto sudoris judicio, nisi die 34. judicatus fuit. *Herophyto* in 40. diem; *Apollonio* certe ultra 24. diem, perstitit inflammatio. *Mulier in Cyzico* in diem 17. quo periit, manifesta jugis Inflammationis signa gessit, obiitque phrenitica. Uxor *Dealcis* inflammationis signa habebat, in 21. diem fatalem constantis: ita ut *Hippocrates* orationem claudat dicendo: *διὰ τέλεος Φρενίτις*. Idemque de *Melibæi Adolescente* verum. Et in Epid. 4. Libro de *Thersandri Conjuge*, deque *Servo in extrema caupona*, judicium aliud ferre non possumus. *Puerperæ maritus* quoque, ad quem *Hippocrates* die 7. morbi primum accessit, die octavo ex summa, crudissimaque, Jecinoris inflammatione periit. Epid. 7. *Conjux Hermoptotomi* ad usque 23. diem inflammatione laborasse videtur.

Nonnullis forsitan dies intercalarii dubium movebunt; dies, inquam, quibus aut conticescente, aut multum se moderante, febre, inflammatio quoque cessasse videretur: sed hos ipsos ajo primi, omnibus scilicet admissi, inflammatoriorum morborum stadii quaternarii, non reminisci, in quo cum inflammationis aut constantia, aut incremento, medius intercurrat, integerque sæpe dies, quo morbus quidem longe mitior adparet, & nihilo secius vel IV. die, vel serius, ex stadio inflammatorio vel in Crisin abeat, vel in Mortem, vel in alium Morbum. Neque objiciant mihi tot incipientis Coctionis signa in *Hippocraticis* apparuisse ægrotis, ut inflammationis indicia desiderarentur: nam inane argu-

men-

mentum esse ostendunt signa, quæ prioribus diebus morbi & notavit conscripsitque suis in ægris *Hippocrates*, & post omnes Practicos, in nostris nos ægris quotidie observavimus, cum subsequente tamen inflammationis deinceps augmento, ejusque in consuetas suas transmutationes progressu. Qui hæc animo bene perpendunt, hi inflammationis Membranarum in Cadaveribus Nosocomii cum crebræ, tum amplæ, observatam demonstratamque perseverantiam neutiquam mirabuntur.

§. II. Videmus itaque hæc nota fuisse Antiquis: an vero secundum hanc observationem admoverint, mutaverintque, methodum medendi, quæritur? Nihil evidentius est. Qui enim alias in mentem *Coö* venisset, ut octavo die sanguinem mitteret *Anaxioni*? Eumque rite misisse continuantis diu postmodum cruditatis pertinacia evicisset? Quod in eo fecit, id eum in numerosis ægris, quorum pertinacem Cruditatem supra memoravi, fecisse, tam certo novimus, quam ex ungue Leonem. Opportunum erit ex *Galeni* in hanc historiam *Commentario* nonnulla transferre: In hoc uno
„ cunctorum ægrorum, quorum morbum *I. & III.*
„ *Epid. Libro* conscripsit, Phlebotomiæ a se institutæ
„ meminit: non quasi unicus ille esset, cui Venam
„ secasset, sed quod primus esset, cui octavo die.
„ Idque notavit ideo, quod Medici existerent, qui ve-
„ luti certa quadam lege Venam post diem quartum
„ non secarent. Quando igitur huic octavo die missus
„ sanguis fuit, multo profecto plures censeas Venæ
„ sectionis auxilio, præter diem alterum, aut ter-
„ tium, aut quartum, usos fuisse. Reticuit autem
„ hoc *Hippocrates*, sicuti reliqua auxilia omnia . . . .
„ cum non therapeuticas suas Lucubrationes hic tra-
„ dere, Observationes practicas tantum in animo
„ haberet.

Igitur antiquorum monitis præceptisque eruditi Viri, qui Medicinam scriptis illustrarunt, & diem quar-

tum, ut ſtadii inflammatorii terminum, frequenter agnoſcunt, & Naturæ ingentem notant ab hac lege receſſum. Unde ſi etiam aliquibus videatur Vir immortalis *Hermannus Boerhaave* in *Aphoriſmis ſuis* diem quartum in acutis cum diatheſi inflammatoria morbis multum ſuſpicere; videant quoque illi magnum hunc Virum in iis *Inſtitutionum ſuarum* locis, quæ ad acriſiis, dyſcriſiiſque morborum tractant, has exceptiones etiam notaſſe, diſcipulorumque animis inculcaſſe. Hæc monere expediebat, quod famoſi hujus quarti diei conſideratio plurimum in animis altiores, quam aut par eſſet, aut ægris conduceret, radices egiſſet; tum etiam quod Inflammationis pertinacioris, durabiliorisque indicia, in tot Cadaveribus reperta, hæc eadem expoſitio plurimum illuſtraret.



RAT.

RATIONIS MEDENDI
SECTIONIS II.
DE PESTE.

CAPUT PRIMUM.

De Peste, et cur de illa scribendum sit.

§. I. *Ratio exponitur cur de Morbo, centies descripto, scribendum de integro fuerit. Præcipuorum Autorum qui de ea scripsere, catalogus adjungitur.*

§. I. QUamquam sinistre ferre, vehementerque in me multi, de Peste, cui interfuerim nunquam, scribentem, ejusdemque tractandæ præcepta tradentem, invehi possent; quandoquidem cum Priscorum autorum, tum Juniorum, tot tantique extiterint, graves Viri, conscripti in Arte Patres (1), qui Luem hanc

(1) Hippocrates *Lib. III. Epid. Sect. III. Pestis accuratam dedit longamque Historiam. Et alibi Pestem, licet minus aperte, descripsisse, ut in Historia* Critonis &c. *commentatores voluerunt. Vide* Minderérum, Botallum, *aliosque.*
Galenus *in Libr. III. Epid. pariter, ut &* Libr. de diff. Febr. *I. cap. VI. & VII. libr. IX.* de simpl. Med.

hanc terram oculis contuiti suis, manuque tractantes, dumque illam pellere ab aliis noctu diuque satagerent, eadem afflati ipsi correptique, mascule de ea scripserint, aptaque curandi præcepta tradiderint; ut in tanta luce nedum inexpertorum, verum etiam ne expertissimorum quidem virorum, nova illustratione indigere minime videamur: nihilominus ut historiam, curamque, Pestilentiæ incudi rederem, me urgentes compulerunt gravissimæque rationes. Ac primum quidem

Med. virt. *cap. I. libr.* de Meth. med. *V. cap. XII. & XIV. cap. X. libr. de* comp. Med. sec. loc. *III. cap. II.*

Paulus Ægineta *Lib. II. cap. XXXVI.*

Hieronymus Fracastorius, *de Contag. Libri tres.* Venetiis 1546.

Ambrosius Paræus *Libr. XXII.*

Hieronymus Capivaccius *in Med. Pract. Libr. VI. cap.* 29. 30. 31.

Ludovicus Mercatus *trium Regum Hispaniarum Archiater Tom. II. Libr. VII.*

Cornelius Gemma, *celeberrimus Medicus Lovaniensis, qui Peste obiit eo ipso anno* 1575. *quo* Plantinus Antverpiensis *ejus de Peste opus typis elegantibus suis excudit.*

Petrus Forestus *Lib. VI. Edit. Rotomag.* 1653.

Jodocus Lommius *obiter Tom. I. p.* 31. 32. 33.

Joannes Fernelius *de abditis rerum causis Libr. II. cap.* 10. 11. 12.

Joannes Heurnius *de Peste liber. Ultrajectinus erat, & in Academia Lugduno-Batava primus, ac primarius Medicinæ Professor.*

Rembertus Dodonæus *Medicus Cæsareus in Med. observ. Plantinus excudit anno* 1585.

Ju-

dem fallacia, incertitudoque hujus morbi; ita ut plerumque Disputatio acerba diuturnaque habeatur utrum, qui affligere morbus occeperit, Pestis appellandus sit, necne? Cum nunc interea, ut *Homerus* notat, quando, Deus Νȣ̃σον ἀνὰ ςρατὸν ὦρσε κακὴν, ὀλέκοντο δὲ λαοὶ, milleque Mortalium, antequam lis sit decisa sternat morbus; tentandum erat, an ex ipsorum litigantium observationibus lex confici nulla posset, quæ vel tolleret a principio dissidium omne, vel mali propagatio-

G 3 nem

Julius Palmarius *Constantinus, septem de Peste Libros conscripsit, editos Lutetiæ* 1577. & 1578.
Hieronymus Mercurialis Patavina *in schola celeberr. professor, dedit lectiones de Peste anno* 1577. *quæ anno eodem Venetiis typo excussa.*
Joannes Crato a Craftheim *Nobilis Imp. Maximiliani Archiater* in Consf. Med. Libris VII. 1591. 92. 93.
Schenckius a Grafenberg *Tomo VI.*
Prosper Alpinus *Med. Ægypt. Edit. Venet. anni* 1591.
Fabricius Hildanus *sparsim in Centuriis.*
Daniel Sennertus *in Tom. VI. Libr. IV.*
Raimundus Mindererus *de Peste liber unus. Aug. Vind.* 1608.
Felix Platerus *edit. op. omn. Basiliæ* 1656. *ipse dederat jam partem operis anno* 1602.
Ludovicus Septalius, *de Peste & pestiferis affectibus Libri V. Mediolani* 1622. 1620. &c.
Joannes Castellus 1608. *Aug. Vind.*
Lazarus Riverius *Prax. Med. lib. XVII. cap. I. legi decies meretur.*
Liddelius, Scotus, *de Peste Neomag.* 1624.
Isebrandus Diemerbroeck *libr. de Peste Neomag. in op. omn. in Fol.* 1685.

Fran-

nem præpediret. Deinde si unquam, in peste profecto, dum jam præsentem illam omnes fatentur, tractanda, curandaque, tanta est vacillatio in consiliis, tanta in observando diversitas, tanta demum in præsidiis admovendis discrepantia, ut Pestem plane novum morbum esse colligeres, cujus, utpote ignoti eousque Medentibus, quærenda primum ex *Democriti* puteo medela foret. Tertio cum ex mea Schola exsurgant, qui publica autoritate mittantur ad confinia, quæ *Austriaca* Regna

---

Franciscus de le Boe Sylvius *Prof. Leyd. de Peste Opus confectum ex Auditorum suorum adnotatis.*

Thomas Willis, *Edit. in Fol. Venet.* 1720. *Tomo I. Cap XIII. pag.* 65. *& seq.*

Vopiscus Fortunatus Plempius *Amstelodamensis, Doctor Lovaniensis de* Fundamentis *Med. Libri VI. Lovan.* 1638.

Athanasius Kircherus, *Jesuita, scrutinium Physico medicum contagiosæ luis, quæ dicitur Pestis. Romæ* 1658. *in IV.*

Hieronymus Montuus, *Allobrox. Practica Medica Venet.* 1626.

Eustachius Rudius, *Utinensis de Morb. occult. & Venen. Libri V. Venet.* 1610.

Joannes Morellus, *Cabilonensis. De Febre purpurata epid. pest. in Burgandia &c. Lugd.* 1641.

Balthasar Timæus a Guldenklee, *Archiater Brandenburgicus in Libr. III. Epist. & Consil. Lips.* 1665.

Paulus Barbette *in* 8. *Lugd. Batav.* 1672.

Nathanael Hodges *de Peste Liber. floruit post medium XVII. Sec.*

Paulus Sorbait, *Vienn. Archiater ac Professor Op. theor. pract. in Fol.* 1672.

Thomas Sydenham *tota sectione secunda.*

Ja-

gna disterminant a *Thraciis*, seu *Turcis*, ut coortam ibi pestem, quod crebro fit, curent, suffocentque; mearum esse partium ratus sum non in Lectione duntaxat iisdem meis Auditoribus cognoscendi curandique luem consilia præceptaque tradere, sed quod memoriam

G 4 ful-

Jacobus Walschmid *Archiater Hassicus Profess. Marpurg. in Tomo II. Disp. XIII. de scrutinio Pestis.*

Laurentius Bellini *Florentinus Professor Pisanus. De urin. puls. febr. &c. Lips. & Francof.* 1698. *Editio Bononiensis est anni* 1683.

I. C. Langius oper. omn. *Tomo II. cap. XIV.* Rivinus *de peste Lips. anni* 1680.

C. F. Paullini *de Febr. verm.* 1703.

Ludovicus Antonius Muratori, *de tractanda evitandaque peste tractatus politicus, medicus, & ecclesiasticus: Opus incomparabile, Medicis pernecessarium, italice conscriptum, Mutini* 1710.

Bernardini Ramazzini, *Mutinensis Professoris Oratio publice habita in Licæo Patavino* 1713.

Francisc. Xav. Benza, *Relatio Austriacæ Pestis ann.* 1712. 1713. 1714. *Sunt observata propria Autoris, facta, Viennæ, ac Posoniæ, in Nosocomiis, seu* Lazaretis *dictis.*

Massiliensis Pestis *relatio, a Medicis, qui illi interfuere, edita Marsil.* 1720. *& cum Animadv. L. A. Muratorii aucta* 1743.

Josephi Fornès, *Tractatus de peste in Fol. Barcinonæ* 1725. *Operi opuscula præmittuntur, variorumque Epistolæ de Peste, & Relatio Pestis Massiliensis mox laudata. Multa continet opus lectu scituque digna; stylo duntaxat barbaro difforme adeo, horridumque, ut nesciam an tot hoc sæculo Medicinæ quid viderit magis barbarum.*

De

fulciret vacillantem, quod ubique gerere secum possent, & in dubiis consulere, libellum conscribere compendiosum. Tandem quia ea dierum nostrorum calamitas est, ut ad Imperii Austriaci margines, occasione Russici Thraciique belli, se manifestaverit dira lues; ob id-

---

De Peste Massiliensi *scripta numerosa prostant, partim Medicorum Gallorum, qui aut ipsi pestilentiosis auxilio ibidem fuere, aut urbium vicinarum incolæ, aut autoritate sive Regis* Galliæ, *sive Regis* Hispaniæ, *sive aliorum, Massiliam missi: unde prodiit laudatum* Cl. Viri Fornès *justi voluminis Opus; Medicorumque Nationum diversarum opuscula, qui circa idem tempus vel proprio motu, vel Principum jussu, ideo de peste scripserunt, ut de finibus quisque suis eam propulsarent. Hinc natus* discursus brevis de Cont. Pest. & methodo præcavendi, autore R. Mead. Lond. 1720. Tractatus practicus de peste, autore Jos. Browne Lond. 1720. Consideratio Pestis Massiliensis, autore Richardo Bradley, Lond. 1721. Tentamen J. Quiney, ann. 1720. Lond. *junctum novæ editioni operis* Nathanaelis Hodges *de peste* 1665. Collectio variorum Edictorum &c. Lond. 1721.

Consilium sanitatis Viennensis, *edidit anno* 1738. *Methodum pestem cognoscendi & curandi, cum eo tempore hæc lues Thraces ad confinia nostra invasisset.*

Philippus Hecquet *in Append. de Peste, & in Tractatu de Peste, ubi & de periculo coactor. Nosoc. Paris* 1722.

Adami Chenot *Medicus & rei Sanitatis Transylvanæ Physicus regius, dedit Tractatum de Peste. Viennæ* 1766. *Egregium Opus.*

Autor anonymus *de Peste Algerina anni* 1752. 1753.

idque omnis Medicorum cura, sollertia, sollicitudo, aptitudoque requirantur; festinare hoc opusculum debui, in quo minus me, potissimum vero præcipuos Autores, eosque numerosos, qui unquam & Pestilentibus floruere temporibus, & Pestis cognoscendæ curandæque præcepta tradiderunt, vestigio temporis consulere possint. Ordine infra hi recensentur.

SECTIONIS II.

CAPUT SECUNDUM.

De difficultate Pestem interstinguendi ab aliis consimilibus illi Morbis.

§. I. *Non haberi Pestis ejusmodi Diagnosin, ut Pestis & omnis, & maxime inchoantis, clara notities adsit, ex numerosissimis ostenditur Scriptoribus: quamobrem ad omnem fere incipientem Pestem, imo nonnunquam ad eandem jam grassantem, utrum Pestis sit, nec ne, disceptari solet.*

§. II. *Quum interim hujus disceptationis causa, Pestis sæpe ita vagari visa sit, ut ultra domanda non fuerit, quid, incipiente Pestem referente morbo, provido Magistratui curandum sit? Plures Historiæ dicta confirmantes.*

§. I. PEstem determinatu difficilem, arduamque esse, ex eo colligimus, quod, ut ex singularum Pestium historia patet, fere perpetuo hæsitatum fuerit, utrum qui apparuisset, quique peteretur definiendus Morbus, Pestis appellandus esset, nec ne? Parado-

doxon hoc videri multis debet, qui hinc deplorandam ejus per orbem universum, singulaque sæcula, frequentiam, atque diuturnitatem, ex Historia tenent; illinc ingentem conspiciunt delectorum Autorum manum, qui tetram Luem, quemadmodum eam oculis contuiti erant suis, inque semetipsis experti, posteritati tradiderunt. Quo tamen videant rem, quo dixi modo, se habere, ex innumeris exemplis me pauca contrahere necesse est.

Dum *Paræus*, & quæ ipse viderat, & quæ in longo cum Rege itinere ab omnibus Medicis, Chirurgisque, expiscando didicerat, animo volveret, conclusit tandem *Lib.* 22. de Peste cap. 14. Decipi turpiter homines „ pestilentiarum principio, eo quod plures inde „ moriantur, tam quia sæpe & Bubones, & Anthraces, & Exanthemata, indicia ceterum pestis, sese „ cum illa non consocient, quam quia non eadem omnibus, sed aliis hæc, aliis illa, eaque tantummodo pauciora, levioraque, signa morbi, adesse videantur.

Unde *Liddelius*: „ Nullus morbus, inquit, magis „ ex se perniciosus est, aut in quo signa omnia magis infida sunt, & motus magis incerti, inconstantesque. Similia *Mindererus*.

Hieron. Montuus: „ Nos Pestilentiam, ait, grassari „ vidimus *Lugduni* & *Viennæ* anno 1525. Febris parva videbatur, & Febre se liberos ægrotantes opinabantur, pulsus erant moderatis similes, & Urinæ colore, consistentia, & contentis, non illaudabiles, qui „ tamen omnes occubuerunt.

Imo *Morellus*: „ Fit, inquit scite, ut in Peste fallant nos sensus, fallat ratio, fallant Hippocratis „ Aphorismi; & ipse, ut puto, in his falleretur *Hippocrates*.

Riccobonus & *Muratorius*, referunt nobis, Venetiis anno 1576. gravi oborta suspectaque ægritudine, summas orsas esse illorum Medicorum discordias, quibus

in mandatis dederat Senatus examinare morbum propius; pestisque an esset, nec ne, enucleare determinare: amplissimum Senatum, quo certior redderetur, duos celeberrimos inclytæ *Patavinæ* Scholæ Antistites *H. Capivaccium*, & *H. Mercurialem*, præstantes viros, editisque claros inclytosque laboribus, convocasse; qui, instituto examine rerum accuratissimo, pendentem solverent litem: tandem eximios hos Scrutatores Senatum certiorem fecisse, qui populari morbus cepisset, non esse Pestem: Pestem tamen esse cum brevi etiam Lippis ac Tonsoribus innotesceret; hoc ceterum nobile *Hieronymorum* par male oluisse universis, honestaque dimissione impetrata *Pataviam* repetiisse. Errorem autem se publice fassos postmodum esse, eorum Scripta testantur.

L. Septalius, ad pestem *Lombardiæ* anni 1629. simile dissidium Medicos tenuisse; se autem Pestem esse proclamantem lapidibus ab insolente, desperabundaque plebe, fere obrutum fuisse, memoria prodidit.

In Peste *Viennensi* anni 1712. 1713. 1714. eadem quæstio fluitantes Medentium tenuit incertasque mentes, donec sævior lues tot popularetur cives, ut omnes pestem diram esse faterentur coacti: ita *Ramazzini* in Oratione, & *Muratori* de Peste Libr. 1. pag. 51. referant.

§. II. In calamitoso ejusmodi inopportunoque dissidio, Publica potestas quid actura, omissurave sit, inquirit anxie? Confiniane sua sic tuta præstabit, quemadmodum, de Peste certior, & soleat, & debeat? Frustra forte commercium turbabit, jacturamque ingentem Vectigalibus inferet, & Mercatoribus sæpe irreparabilem. E contrario vero si in absolutam certitudinem cautelas procrastinaverit, seræ postmodum curæ hæ erunt, ineptæque omnes. Novamque hæc difficultas quæstionem parit sit ne hoc, an illud, Reipublicæ utilius? Solvere quæstionem potest seria maturaque ponderatio damni, quod alterum in opes, hominumque & commodita-

ditatas, & utilitates, illaturum sit; alterum & in easdem res, & in irreparabilem illorum vitam.

Æqua hæc lance serenissimum *Venetorum* Senatum rem ponderasse testabatur egregius *Ramazzini*, in oratione habita *Patavii* die 20. Nov. anno 1713. Laude enim summa ferebat Senatum, quod, Medicis *Austriacis* inter sese turpiter dissentientibus, decreta saluberrima sanxisset, ut ad confinia, terra marique, sua, locosque suspectos mitterentur, qui, & prudentia, & experientia sua Labem, si qua forsan adesset, in ortu præfocarent: prætereaque ut in singulis seu Urbibus, seu Oppidis, vel Cives præstantiores, vel Viri nobiliores, ad Portas invigilarent, ne citra datos sanitatis illibatæ vades intraret quisquam: cum autem ne sic quidem saluti publicæ cautum esse sibi videretur, Senatum haud multo post & cum externis, & cum proximioribus potissimum Civitatibus, interdixisse commercium omne, minoris utique liberæ Mercaturæ commoda beneficiaque facientem, quam populi salutem.

Decretum Consilii sanitatis *Viennensis* anni 1738. memorabile ob suum est exordium. „ Quotiescunque „ Pestis utut subita violentaque oriebatur, contigit ta„ men, ut æque Eruditorum atque Plebejorum ani„ mi hæsitarent Pestemne appellarent, an alium mor„ borum: interea vero dum de nomine ægritudini im„ ponendo disceptaretur, solebat tantas edere strages, „ ut neque Magistratuum, neque Medicorum decreta, „ sistendis essent iisdem.

Exemplum æterna memoria dignum dedit Pestis, quæ anno 1630. *Parmam*, *Veronam*, *Mediolanum* &c. mille mortibus implebat, eoquod hinc Medicorum de morbi nomine lis, illinc prævisum commercii damnum, omnem aut impedivisset, aut procrastinasset cautionem; *Ferrariæ* vero, in qua urbe furere in aliquos jam ceperat, parcebat; quod Magistratus, & Medicorum altercante Collegio, & reclamante Mercatorum Societa-

te,

te, progressui mali prudentissima saluberrimaque obniteretur cautione. *Muratori Lib.* 1. *pag.* 150. *& seq.*

Nulla unquam Regio, quam *Gallo-provincialis* (Provincia) aut *Braccata Gallia* dicta, nulla unquam urbs, quam *Massilia*, tantas hujus contentionis pœnas luit, peste in ea annis hujus sæculi 20. 21. 22. grassante. Neque inceptæ modo, verum & progressæ, immo & adultæ pestis, nomen in disceptationem vocabatur, haud a Medicis, Chirurgisque, & Regionis, & Urbis, duntaxat, verum etiam a summis Medicinæ Antistitibus: & tandem, incredibile dictu! collatis utriusque disceptantium partis relationibus, Archiatrorum regiorum Comes *Chiconeau* ab omni pestis absolvit infamia morbum. Unde & stupendo atque calamitoso hoc errore sexaginta millia civium *Massilitanorum* ignoti morbi victima fuerunt. Locupletissimam monumentorum huc spectantium Collectionem reliquit nobis *Cl. Jos. Fornès Barcinonensis* in Medicina Professor primarius, qui Regis Hispaniarum jussu *Massiliam*, *Provinciamque*, expiscandi causa petens, ibidemque diutius moratus, testis oculatus miseriarum fuit, commercium epistolicum cum variis Provinciæ Medicis habuit, hocque utili suo, atque voluminoso, de Peste libro, adjecit.

Notabilis Historia, quam in *Obs. Med. Cap.* 54. *Dodonæus* refert „ *Philippus Stroza*, & nobilitate generis, & opum affluentia insignis, lenta quadam „ febricula laborabat, & ex Medicis, qui ægrum vi- „ derant, alii quotidianam, sed levem, alii ob algo- „ rem, contractam febrem putabant: nec defuit qui „ crederet a capite destillasse materiem, quæ putrescen- „ tem febriculam gigneret. At nos, cum eam ipsam „ diligentiore examine perpenderemus, pestilentem ju- „ dicavimus. Quam sententiam deridentes Medici, „ cum levatam jam febrem examinarent, latebat enim „ anguis in herba, familiari tantum Medico curam di „ mittunt. At æger, qui jam convaluisse videbatur,

„ ad-

„ adventante die VII. in Nervorum subito resolutio-
„ nem & febrem incidit ardescentem: qua exhausta
„ voce & corporis viribus convulsis, paucis etiam die-
„ bus mors subsequuta est.

Dodonæum, cum hæc scriberet, & senem, & Pestis, ejus temporibus frequentioris, probe conscium rati, pestem, quam plures Medicorum negassent, occupasse hominem, affirmantem intelligimus; e contrario affirmatam pestem, qua nihil dissimilius adesset, enarratio sequens dabit.

Joannes Galego de la Serna, Archiater duorum Hispaniarum Regum, nec non *Annæ Austriacæ*, Lud. XIII. Galliarum Regis conjugis, in sua *Methodo Medendi* anno 1639. edita, meminit malignæ Febris, quæ Reginam teneret, neglectæ, nihilque existimatæ a Medicis suis; adeo autem postmodum invalescentis, ut de extrema Unctione adhibenda Medici deliberarent Die XI. facta hypostatica urina, febre remissa, delirioque, Crisin ait apparuisse; superstite tamen tanta functionis animalis debilitate, ut plurimum Medicorum consilium convocaret Rex, in eoque consideret cum Regni Primoribus. De morbi natura multam Medicorum discordiam intercessisse, nec minorem de Cura: „ sed, in-
„ quit Autor, inter omnes, mirabile dictu! doctissi-
„ mus antiquissimusque Magister, & qui in tota *Gal-*
„ *lia* primum obtinebat nomen, Doctor *Duretus*, post-
„ quam Pestilentem esse morbum per omnia signa, &
„ potissimum ex urinæ pravitate probavit, sine hæsi-
„ tatione, & facie ad faciem, præsentaneam Reginæ
„ mortem Regi ipsi denunciavit, ac tandem, tanquam
„ ad corpus semimortuum, sanguinis missionem præscri-
„ psit: *idemque aliqui ex iis, qui sequebantur, dixe-*
„ *runt.* (1) Con-

---

(1) *Non fuit hic ille æterni nomini* Lodovicus Duretus *qui*

Consideratis porro omnibus, Regi placuit auscultare Archiatri *de la Serna* consilio, collapsas Reginæ vires alimentis restaurandas esse censentis; lætusque hinc redditam vidit Reginæ salutem.

---

qui nobis suos immortales in Coacas, *aliaque* Hippocratis, *commentarios dedit, sed ejus, magni quoque nominis, filius. Obiit enim* Lodovicus *anno* 1586. *adeoque* 33. *annis ante hanc Historiam.* Galego de la Serna *gratiam Regis Reginæque magnam ob hanc curam inivit, bis mille aureis nummis ab utroque donatus, nec non annua similium aureorum nummorum octingentorum gratificatione; qua adhuc fruebatur* 17. *postmodum anno, quo librum edidit. Regina autem post hanc curam annis* 47. *vixit.*



SE-



SECTIONIS II.

CAPUT TERTIUM.

De Pestis Definitione.

§. I. Quæritur num, quemadmodum plurimorum morborum, ita & Pestis, definitio non detur, qua a quocumque alio morbo internoscatur? Ad id ut respondeatur, recensentur primo omnes seu Definitiones, seu Descriptiones, quæ ab antiquissimis Medicinæ temporibus, in nostros dies usque, datæ fuerunt. Responsio ad quæstionem in sequens caput differtur.

§. I. EX iis quæ de difficultate Pestem ab omnibus aliis morbis internoscendi, mox vidimus, quæstio non minus inevitabilis, quam gravis, exsurgit, an scilicet Pestis non admittat, quemadmodum alii morbi, definitionem, quæ a ceteris consimilibus morbis eandem discriminet? Ne præmatura videatur, aut temeraria responsio, erit omnium, quæ huc spectent, rerum, non minus tædiosa, quam laboriosa, præmittenda recensio, ab *Hippocrate* inchoanda.

Hic enim *Epid. III. Sect. III.* Pestilentem morbum graphice descripsit, symptomatibus & numero admodum variis, & nec omnibus cunctos, neque uno omnes modo, neque uno universos tempore, neque eodem singulos aut numero, aut vehementia, aut duratione, affligentibus, conjunctum. Contentus *Hippocrates* operosa hujus sui temporis febris pestiferæ descriptione, veram, & proprie dictam, pestis definitionem non dedit. De Peste eum egisse in Historia *Critonis* in *Tha-*

so

so & *Libr. II. de Morbis* ad hæc Verba: „ Alia fe- „ bris. Foris ad contactum febris debilis est „ &c. censet cum aliis *Mindererus*. Et in vita *Hippocratis* meminit *Soranus* Pestis, in *Illyrios*, *Pæonas*, *Barbaramque* regionem, ingruentis, quam ille sua Discipulorumque opera, ab *Attica* regione propulsasset. Verum de ejusdem definitione ibidem ne hilum quidem.

Aristoteles Tom. II. pag. 521. *Sect. I. De iis, quæ ab Medicinam pertinent*. Quæst. 7. sic pestem definit: Μόνη τῶν νόσων κοινὴ ἐστιν ἅπασιν „ Morbus, qui „ ex morbis cunctis ille solus est, qui est singulis ho- „ minibus communis.

Apud *Aretæum Cappadocem* frustra hic aliquid quærimus certioris. Præter defunctoriam quandam Pestis apud *Atticos* tempore *Peloponiaci* belli mentionem, nihil de illa perhibuit.

Galenus Comm. in Libr. III. Epid. Hipp. Sect. III. ad Text. XX. pag. 263. *Edit. Charter*. „ Quicunque „ morbus uno in loco multos simul invaserit, epide- „ micus ille; sin vero & multos perimat, Pestis fit. „ Et in *Text. XXI. Hippocratis*, qui dicit: *ex præscri-* „ *ptorum generum uno quoque* (*morbo*) *multi labora-* „ *bant, ac moriebantur*: „ *Galenus* cum dicit, inquit, „ & *multi moriebantur*, Pestilentes esse morbos qui „ vulgarentur, (qui epidemici, seu populares essent) „ demonstrat. Quid quandoquidem diversi fuerint, de „ singulis separatim acturum se infra promittit. *In Text.* „ *LVII.* qui sic habet: „ *Ut autem in summa dicam*, „ *omnes tum qui morbis longis, tum qui acutis ægro-* „ *tabant, ex his maxime, qui per alvum secedebant*, „ *interierunt. Omnes enim alvus sustulit*: „ *Galenus*: „ Et Pestis quoque illa longissima, quæ nostra ætate „ contingebat, ex iis, quæ per alvum evacuantur, „ omnes prope peremit: quod quidem esse symptoma „ perpetuum febris ejus videtur, quam peculiariter

„ pestilentem vocant; cum homines καὶ χωρίς λοιμῦ, „ etiam citra pestem, corripiat. „ In *Text. LVIII.* „ *Cibos equidem aversabantur &c. Galenus :* „ Etiam „ hoc symptoma omnes cepit, qui in Peste diutur- „ na, quæ modo viguit, laborabant : quare & multos „ mori contigit. Fortiores ergo, qui vim sibi inferen- „ tes cibum oblatum assumserunt, omnes fere evase- „ runt superstites. Plurimi vero mori, quam comede- „ re quidquam, prius duxerunt.

Libro I. de different. febr. Cap. VI. & VII. de Pestis causis, deque eadem præcavenda disseruit, morbum vero non definivit, ac si notum cunctis supponeret.

Libro IX. de simpl. Med. virt. Cap. I. Porro in „ magna hac Peste, cujus eadem facies fuit, atque „ ejus, quæ *Thucydidis* memoria grassabatur, quot- „ quot hoc Medicamentum (Boli armeniæ cum vino „ albo sincero, vel cum aqua diluto,) biberunt, ce- „ leriter curati sunt . . . Non tamen calore vehemen- „ tes sunt Febres pestilentiales.

Libro de Meth. med. V. Cap. XII. de peste loquitur, tunc grassante; non definiens illam, narrat modo quibus in peste totum corpus ulceribus scateret, hos servari omnes, idque juvenis exemplo confirmat. Ibidem *Lib. XIV. Cap. X.* sine definitione pestis laudat venæ sectionem, ad animi deliquium usque, in Anthrace. *Libro de comp. Med. secundum locos III. cap. II.* Ad Parotides venæ sectionem laudat; incertum tamen an ibi de parotide pestilentiali scribat, ut quidem vult *Riverius*.

Cælius Aurelianus nihil nobis de Peste tradidit; verbulo tantummodo innuens ab *Asclepiade* emetica laudari in Pestilentibus. *Lib. I. Cap. XIV.*

Paulus Ægineta Lib. II. Cap. XXXVI. enarrat nobis fere omnia, quæ unquam quacunque in Peste observata fuerunt, adjungitque hæc, eorumque singula, posse in Peste observari.

Au-

Autores, *Arabes*, simias *Galeni*, non memorabor, ne abutar lectorum patientia; *Galeni* simias, inquam, in multis; *Rhasin*, forte, exceperis; quantum saltem ex eorundem scriptis colligere nobis hucusque licuerit: quæ scripta genuinane sint, ipsorumque aut nomina juste præ sese ferant, aut mentem exponant veram, rationes utique graves nos jubent dubitare. (1) In Catalogo *Bibliothecæ Arabico-Hispanæ Escurialensis*, cujus Tomum I. in fol. anno 1760. *Madriti* editum, dono Ill. Baronis *Henrici de Senckenberg* præstantissimi, dum viveret, *Consiliarii Cons. Imp. Aul.* possideo. Rev. &

---

(1) *Jure proinde expectamus a laudatissima Regis Hispan.* Caroli III. *tanti Litterarum Scientiarumque Mecænatis, munificentia, atque a notissima Rev.* Casiri, *ceterorumque Escurialiensium Eruditorum, cura & labore, uti demum &* Rasis, *& reliquorum Arabum Medicorum principum, aut ipsa opera Arabica typis fidelibus prodeant, quas apti ad id Viri rite postmodum interpretentur, aut eorundem non ultra* Perversiones, *sed justissimæ* Versiones, *lucem videant, Arsque illorum ditetur accessu.*

Dudum est, quod per varias vias, modosque, ab iisdem eruditissimis Viris petiverim ut, vel Codicem Arabicum nobis ad tempus commodo darent, vel eundem, sive arabice solum, sive per ipsos latine versum, Typo evulgarent; Codicem, inquam, illum, quo ditaremur Galeni in Libr. II. Epidem. Hipp. *Commentariis II. III. IV. & V. quorum primum tantum possidemus; nec non ejusdem* Galeni *commentariis in* VI. Epid. Libr. VII. & VIII. *quorum sex tantummodo novimus. Animus fuerat horum Commentariorum ignotorum* D. W. Trillero, *viro longe eruditissimo, indefatigabili, in Arte no-*

eruditiss. Vir *Michaël Casirus*, *Syro Maronita*, *Presbyter*, *S. Theologiæ Doctor*, *Regis a Bibliotheca*, *linguarumque orientalium interpretatione*, passim de latinis Arabum Versionibus conquerens, in vita, scriptisque *Rasis* „ Ceterum, inquit latinæ quæ vulgo circumferuntur, *Rasis* operum Interpretationes, adeo barbaræ ac insulsæ sunt, ut nec *Rasis* dictionem, nec stylum, sapiant, nec sententiam quidem exprimere aliquando videantur. Illas enim ego, quoties cum arabibus Archetypis conferre libuit, non ex *Rasi*, sed ex alio prorsus Autore, factas omnino censui.

Idem

---

stra præstantissimo, maximo, copiam facere, uti frui iisdem in pulcerrima sua Hippocratis *universi Editione posset. Votum meum & iteratum, & ab* Excell. Senckenbergio, *magnoque alio Litterarum Patrono, Hispani Regis in Aula quadam Oratore, obsecundatum, inane hucusque fuit.*

Idemque optandum est de laudatissimis Beitharis *operibus*, Galeni *ac* Dioscoridis *Historiam simplicium tam egregie illustrantis, ac bismille Plantarum accessione adornaptis. Nec urgere rem efficacius possum, quam ipsiusmet Reverendi Catalogi hujus Fabri voto, qui ipse sic loquitur:* „ *Præter amplam eruditionem, floridum juxta ac limatum dicendi genus in eodem mireris. Operæ pretium igitur quam maximum foret, eximium hocce opus in latinum sermonem transferri ab aliquo, Arabicæ linguæ peritissimo; ope tamen aliorum, qui in Arte Medica & Botanica essent apprime callidi, atque exercitati: quantum enim rei herbariæ cultoribus, maxime hispanis, ex illa translatione lumen! Quippe* Beithar *multa simplicium nomina vario regionum nationumque sermone, præcipue*

„ Idem de antiquis latinis translationibus ex Arabum „ Philosophorum ac Medicorum scriptis confectis, eo- „ dem jure pronunciandum: quas *Perversiones* potius „ quam Versiones merito dixeris. Atque hoc loco tem- „ perare mihi non possum, quin acerbius invehar in „ illos, qui ex hujusmodi versionum colluvie, non adi- „ tis Arabum fontibus, de ipsorum Autorum pretio „ ferre sententiam audent. Sed qui nec suo, nec alie- „ no jecore sapiunt, eos despici, quam refutare satius: „ quippe qui de re sibi minime perspecta, & temere „ sentiant, & inepte scriptitent. Vide notam a pag. 115. ad 117.

De Arabibus Medicis id notatum velim, quod nulli eorum, quos centenario numerosiores hic catalogus recenset, de Peste peculiariter scripsisse legantur; quamvis & de morbis omnibus scripserint plerique, & Pestem in *Africa* & *Asia*, ubi adeo frequens, malignaque est, viderint multoties: an forsan, quod plerique *Mahommedani* fuerint, adeoque de eadem curanda aut frustra agi, aut nefas esse opinati?

„ *pne* Hispano, *obiter exprimis, ac recenset. Si* „ Tournefortio *fides*, *id* Beitharis *volumen latine* „ *translulit* Gallandus. *At in Catalogo* Reg. Bibl. „ Paris. *ubi variæ memorantur ejusdem* Gallandi „ *ex Arabico versiones, de latina* Beitharis *versio-* „ *ne ne verbum quidem. Certe hæc typis, quod* „ *sciam, necdum tradita.*

Tandem pag. 280. *enumerat Regias, Publicas, Eruditorumque Bibliothecas, quæ exemplaria Arabica variorum* Beitharis *operum possident; quarum &* Parisiensem Regiam, *&* Cæsaream Vindobonensem *præprimis memorat*: Vindobonensis *Codex adest, ut ille Autor vult, sed non est, nisi* Beitharis *operum Compendium.*

Ex quo a lugubri Epocha *Byzantii* a Thracibus capti, deletique Imperii Græcorum, ex Auſtrali Europa in ſeptentrioni propiorem Græci cum Viri eruditi, tum Libri præſtantes, convolarent; & recens inventa arte Typographica, curante inter cæteros præprimis *Aldo Pio Manucio*, excellentiſſimo *Venetorum* Typographo, cujus nitidiſſimam totius *Hippocratis* græcam editionem poſſideo, Antiquorum Græcorum Medicorum Codices typo excuderentur; mox ſæculis XV. finis, totumque XVI. ſæculum, dederunt nobis Scriptores Medicos innumeros, græcarum Litterarum cultores eximios, & ſtudio Hippocratico præclaros, eruditione admirandos, facundia inſignes, multiplici Artis ſaluberrimæ uſu exercitatiſſimos, Philoſophos ἀσυςεμάτικυς, qui excuſſo Arabum jugo, ſinceram, nudamque rerum naturam a Græcis Medicinæ Patribus edocti, nudam eandem poſteritati tradiderunt. Spectatorum horum Virorum & tantus eſt, & ſelectus adeo numerus, ut quem priorem excitem, quem poſteriorem laudem, hæream anceps. Horum itaque nonnullos conſulere de Peſte neceſſe eſt.

Jacobus Houillier, dictus *Hollerius*, origine *Stempanus*, inter viros eruditos ſui ævi, teſte *Thuano*, ſpectatiſſimus, gravis vir, unaque facetus, dedit nobis *Tom. II. oper. omn.* Tractatum de Peſte, quem ſic orditur: „ Epidemia morbus eſt aliquo anni tempo-
„ re, certiſque locis invaleſcens; qui ſi multos rapit
„ *λοιμώδης*, id eſt Peſtilens appellatur, & *λοιμός*
„ Peſtis eſt: qui morbus populariter graſſans, multos
„ interimit... nulla interdum febris ſenſibilis; Diaſto-
„ le minor quam Syſtole: ſigna peculiarium humorum
„ corporis ſequitur color. Diaria febris peſtilentialis
„ intra triginta horas interficit, ſentiuntque vires pau-
„ latim exhalare: ſæpeque neque Bubo, neque Car-
„ bunculus apparet: ſed totum venenum in corde hæ-

„ ret.

„ ret. Alia febris in quartum diem protrahitur. Omnia „ bona signa suspecta sunt.

Joannes Goræus, Medicus celeberrimus *Parisiensis*, pluribus præclaris operibus, maxime Libris XXIV. *de defin. med.* posteritati gratissimus, qui medio XVI. sæculo floruit, pestem definit exacte, ut brevi eam definiisse *B. Castellum* in Lexico videbimus, pestem quoque cum eo eandem cum febre pestilente ratus.

Ludovicus Duretus, Gallicus Archiater insignis, commentator incomparabilis cum *Hippocratis*, tum laudati mox *Hollerii*, in Caput 42. *Hollerii* praxeos Lib. II. *adnot. in Enarrationem in Hollerium suam*: Febres col„ liquantes sunt *pestilentiales*, non *pestiferæ*, ut quæ „ fieri possint a Diætæ vitio. *Pestifera febris* est, quæ „ contagione sævit in eos, qui præsto sunt tali febre „ afflictis: Pestilens, quæ ei tantum, qui laborat in„ festa est. Galenus Libr. III. Epid. *Alvi profluvium* „ *omnes de medio sustulit*. Sunt autem colliquations „ quæ sunt ἀχώριςα symptomata, τȣ̃ πυρετȣ̃, κα„ ταλαμβάνοντος τȣ̃ς ανϑρώπȣς, καί ἄνευ λοιμȣ̃. „ Symptomata sunt inseparabilia febris, quæ homines „ invadit etiam sine Peste. Omnis Pestis morbus „ est epidemicus, qui a tempestate pestifera in homi„ num vitam invadit, & multos de medio tollit, & „ est contagiosus. In Peste, & Veneni & Contagionis „ summa sunt omnia: Morbi simpliciter venenati, non „ sunt contagiosi: itaque in febre, quæ nascitur a „ tempestate pestifera, veneni, & contagionis, summa „ sunt omnia: sed existit tamen quædam, quæ non est „ & pestifera. Illius qua est colliquans calamitas, di„ gnoscitur in excrementis colliquantibus, & nigris, „ Hæc quidem est *pestilens* non *pestifera*. Sed febris „ a tempestate orta, cujusmodi descripta est *Sect.* 3. „ *Lib.* 3. *Epid.* contagionis & veneni summa habet „ omnia: Symptomata commemorantur illius tempe-

 statis

„ ſtatis peſtiferæ quotquot apparuerunt, Eryſipelata,
„ Ora aphthoſa, Cauſi, Phrenitides, Alvi & Urina
„ perturbatæ, Hydropes, Phthiſes.

„ Sed duo obſervanda *Galenus* proponit Theoremata: Unum, quod meminiſſe quis debet, Putredinem a tempeſtate peſtifera nullam eſſe Pepaſmi capacem: aliud Theorema: quod Peſtis non eſt nomen definitum alicujus morbi, ſed qui ſub morborum diſperſorum (forte diverſorum) nomine multos homines invadit, ſive ſit Lienteria, ſive Dyſenteria, ſive Carbunculus, ſive Eryſipelas: qui ſunt morbi ſporadici. Sed tamen multum intereſt inter carbunculum *peſtilentem* & *peſtiferum*. Omnis Carbunculus fit à putredine ſanguinis: ſed hoc intereſt, quia *peſtilens* neque veneno, neque contagione calamitoſus eſt: at *peſtifer* inexplicabili quadam ratione eſt peſtifer, tum quod peſtilentes ſunt ſporadici, qui proveniunt pro cujus vis particulari natura. „ Redeunt huc, quæ in Coacas hinc inde adnotavit.

Ludovicus Mercado, ſive *Mercatus*, Philippi II. & III. Hiſpaniæ Regum Archiater, *Tomo II. Libr. VII. Cap. I.* gnarus ejus, quæ Peſtis principium determinet, difficultatis, ſpem nobis dederat cognoſcendi inchoantem: verum tot requirit tantaque ſymptomata, ut iis præſentibus nemo ultra, etiam non Medicus, ſit, qui non agnoſcat eſſe peſtem. Definit eam vario modo pag. 443. „ Morbus is cenſeri debet Peſtis, qui cum vulgaris ſit, pernicioſus etiam eſt, atque letalis. Itaque erit Peſtis Epidemia pernicioſa, aut ſi mavis venenoſus quidam vapor in aere conceptus, qui vitali ſpiritui omnino adverſatur, aut aëreum venenum ex putrium vaporum admiſtione, vel infelici Planetarum concurſu, in pernicioſiſſimam animantium generis conditionem dira converſione mutatum, ſi Aſtrologorum ſententiam ſequi voluerimus. Sed poteſt clarius adhuc definiri, nimirum quod nihil aliud Pe-

ſtis

„ ctis sit, quam morbus communis, vulgaris, pessi-
„ mus, atque perniciosissimus; qui perinde ac totum
„ morborum vulgarium genus, ex Cœli statu profici-
„ scitur. Clarius tamen & verius, atque specialius,
„ Febris pestilens definitur, cum dicimus febrem pesti-
„ lentem revera esse morbum, sordidæ & profundæ
„ putrefactionis, includentem seminaria acutissimæ con-
„ tagionis per se, ex quo letalis & contagiosa efficitur.

Hieronymus Capivaccius, Patavinæ Scholæ lumen & ornamentum, *Med. Pract. Libr. VI. Cap.* 29. 30. 31. *pag.* 1034. *& seq. Edit. Francof.* 1594. „ Per febrim
„ pestilentem intelligimus Febrem, quæ cito potest in-
„ terficere; & intelligimus febrem contagiosam, sive
„ fiat ex aere, sive ex aliis causis quomodocumque.
„ Sic ergo accepta nihil aliud est, quam Febris pro-
„ ducta a veneno calido putrefactivo. Cum dicimus
„ quod sit febris, febrim pestilentem a peste distingui-
„ mus, quæ interdum esse potest sine febre, dum vi-
„ tium partes exteriores afficit, nec cordi communica-
„ tur, ut colligitur ex *Galeno Aph.* 25. *&* 57. *sect.* 3.
„ *Lib.* 3. *Epid. & Libr.* 9. *simpl. Cap. de Bolo arm.*
„ Dicimus producta a *veneno*, ad differentiam reliqua-
„ rum febrium, quæ non sunt pestilentes. Addimus a
„ *veneno calido*, ad discrimen morbi venefici frigidi.
„ Tandem adjungimus *putrefactivo*, ad differentiam
„ morbi venefici calidi, non putrefactivi, ut continge-
„ re solet vi Arsenici.

Desiderius Jacotius, Vandoperanus, Coacarum *Hippocratis* excellentissimus Libris XIII. Commentator, *in Comm. I. Libr. III. Sect. II.* „ Pestem, dicimus, in-
„ quit, non morbum aliquem particularem, sed omnem
„ affectum, ex continentis deleteria qualitate profectum.

Julius Palmarius Constantinus, Libros de Morbis contagiosis septem conscripsit, editos *Lutetiæ* anno 1578. Dat hanc Pestis definitionem. *Λοιμος* seu *Λοιμώδης*

πυρε-

πυρετὸς græcis Pestilentia, seu Pestis latinis, Febris „ est peracuta, contagiosa, venenata, populariter grassans, multos perimens, Bubone & Carbunculo, aut „ Exanthematis comitata.

Jodocus Lommius natu *Buranus*, Medicus Bruxellanus, vir totus quantus *Hippocraticus*, Obs. Med. Libros III. latinitate vere Celsica confecit, quorum *in* „ *primo pag.* 31. *Edit. Amstel.* Proximum est Febris „ pestilentialis observationes proponere. *Ubi autem ea* „ *nondum quidem est, verum ut ne incumbat, metuitur,* „ *talia contingunt.* Ver atque æstas calida, humidaque „ austros sine ventis exhibent, cœlum frequenter eo- „ dem etiam die mutatur, fitque modo calidum id, „ modo frigidum, modo nubilum, modo serenum: sæ- „ pius tamen nubilum, pluvioque proximum, at nihil „ pluens tamen. Accedit multa insectorum animalium „ copia, multusque quadrupedum interitus. Insueti „ etiam ignes per noctem in aere cernuntur, ortique „ subinde Cometæ calamitosam hanc portendunt luem.

„ *Ubi raptus aliquis jam morbo est hæc incidunt:* „ Bubones sine causa manifesta, vel pone aures, vel „ sub alis, vel frequentius in inguinibus; aut certe „ Carbunculi variis Corporis locis, purpureave Exan- „ themata, subito exoriuntur. Inter hæc febris inva- „ dit continua, atque acuta, sub qua extimum corpus „ vix incalescit, & sensu interdum frigoris afficitur, „ interiora autem gravi incendio uruntur, ipse homo „ cum animo moesto, ac pleno malæ spei lassus segnis- „ que fit, & ineluctabili dormiendi urgetur necessita- „ te. Ejus ferox vultus, & qualis temulentorum esse „ solet, incertus, atque turbidus est, spiritus male „ olet, ac difficulter trahitur, dejicitur cibi cupiditas, „ os amarescit, ingens oritur sitis: fitque frequens & „ nausea, & vomitus, quo optimi etiam alimenti spe- „ ratus fructus corrumpitur: Pulsus exiguus, langui- „ dus, celer, frequens, & inæqualis est. Alvus fœ-

„ ti-

„ tida, atque grave olens. Urina alias ſicut jumento-
„ rum turbida, cruda, craſſa, fœtidaque eſt, alias qua-
„ lis in homine ſano, ſine vitii nota mejitur. Siquidem
„ ubi ſimplex hæc febris e ſublimi mundo mortalibus
„ immiſſa eſt, neque putridæ implicatur, fere obſcu-
„ ris innititur ſignis, ſic ut neque vehemens vel incen-
„ dium, vel ſitis, vel inappetentia afficiat, ſed & uri-
„ na incocta, omnibus abſoluta numeris ſit. *Etenim*
„ *homo ad ſpeciem non admodum æger, crebra animi*
„ *defectione, vomituque labefactatur, ac tandem ſubita*
„ *raptus ſyncope, inopinanter extinguitur.*

„ Porro omnis peſtilens febris, ut per ſe ſemper to-
„ ta pernicioſa eſt, ſic tum demum & celerem, &
„ certam mortem affert, cum oppreſſo intus corde,
„ *nihil foris vel bubonis, vel carbunculi, ſummo corpo-*
„ *re effloreſcit*: aut ſi quid effloreſcit, inde tamen ne-
„ que morbus, neque æger levatur. Quin etiam neque
„ mortiferum eſt ſemel natum bubonem, vel carbun-
„ culum, rurſus intro delatum, repente delituiſſe,
„ itemque fœtente ſpiritu, ac frigentibus extremis,
„ creberrimum vomitum atque ipſam ſyncopen in-
„ cidiſſe.

„ Illud quoque noviſſe non inutile eſt, ſatis incerta
„ ſub hoc morbo ſalutis eſſe præſagia; adeo ut pro-
„ pter bonas notas plenum ſpei, atque promiſſi medi-
„ cum, mors ſæpe inopinata dejiciat.

De induſtria *Lomnii* textum & prolixum, & totum, tranſtuli; quod ſtylo ſimplici, brevi, elegantique, omnia ea, & ſingula referat, quæ eorum plerique, quos aut laudavi huc uſque, aut poſtmodum laudaturus ſum, Autores, longe cum protractiore, tum confuſiore ſermone, tradiderunt. Porro hæc, quæ in prodromis peſtis ſignis determinandis pene cuncti afferunt, ſapiunt partim obſervationes & veridicas, & perpetuas tempeſtatum anni, & cœli, & telluris, alimentorumque naturæ; quas ab omnibus retro ſæculis poſt *Hip-*

po-

pocratem quicumque de Peste commentati sunt, adnotarunt: partim vero redolent sæculi genium, in spectra, in terrifica, in Armentorum pestes, in Astrologiæ judiciariæ terrores, studiosum ita intentumque, ut non Medicorum duntaxat, verum etiam & Historiographorum insignium, & sapientium Theologorum, præclara ceterum opera illis scateant. Laudatus jam *H. Mercurialis*, in *Lect. de Peste*, Veram Pestem credit extare nunquam, nisi & plurimos inficiat, & infectorum potiorem demetat partem.

Guillelmus Bailliou, dictus *Ballonius*, vir non minus Religione, atque morum integritate, quam eruditione, facundia, experientiaque insignis; vir, inquam, quem celeb. *Renatus Moreau* in ejus vita laudavit, veluti priscam *Hippocratis* & *Galeni* doctrinam adversus Novatorum calumnias tuentem, non multa quidem de peste tradidit, attamen *Epid. & Ephemerid. Libr. II.* ad constit. anni 1575. ideam Pestis haud contemnendam suggessit nobis, occasione quæstionis *cur in pestilenti morbo tam fœdi sint vomitus, tam graveolentes dejectiones?* Silicet & Pestem, & Luem veneream, corrumpere, inque putredinem corpora vertere, ea tamen ingenti discrimine, ut venereum malum id longiore mora efficiat; pestiferum, exiguo temporis articulo.

Ludovicus Septalius Mediolanensis, unus de octo Medicis, quibus in Peste, quæ annis 1575. & 1576. Mediolanum invaserat, rerum demandata cura fuit, *Libro V. de Febribus* Pestem distinxit in eam, quæ ab ipso inquinato aere, pestifero universæ Regioni reddito, originem habet, & in illam, quæ in saluberrima Cœli Aerisque conditione a mera contagione, quod cum non infectis infecti communicent, nasci solet. Huic fundamento præcipua superstruxit, quæ postmodum in cura Pestis ex hoc Autore excitabuntur.

Joannes Fernelius, natu *Ambianus* Galliarum Archiater. Libr. II. *de abditis rerum causis Cap. XII.*

mul-

multa de Peſtis diſputavit cauſis, quas a pleriſque aſſertas Autoribus, in dubium, audito *Fernelio*, forſitan vocabis. Morbi autem Definitionem non dat; verum longam adeo deſcriptionem, ut videatur nihil omiſiſſe eorum, quæ cæteri Medicinæ Scriptores unquam in Peſte obſervaſſe ſe teſtantur, utque ſignis tot conſpicuis, de morbi præſentia nemo, ne plebejus quidem, ullatenus dubitet.

Petrus Foreſtus, *Alcmarianus*, practicus majore vitæ parte *Delphenſis*, *Libro VI. Tom. I. ab Obſ. X. ad XLII.* Eodem prorſus modo, iiſdemque pene verbis, Peſtem cum futuram deſcripſit, tum præſentem, quibus *Lommius*, quocum eodem tempore floruit. Hoc autem aut plus, aut diſtinctius, eo notavit *Foreſtus*, quod Peſtilens febris & *comitata* detur cum Bubonibus, Anthracibus, Exanthematibus, & *incomitata*, carens externis hiſce ſignis, & febri malignæ ſigna præ ſe ferens: comitatæ porro peſtilentis febris ſigna clara evidentiaque eſſe animadvertit; „ at febris peſtilens „ incomitata, inquit, neque ita ſui veneni caracterem, „ aut malignitatis oſtendens, *difficillime cognoſcitur*, „ *non ſolum a Vulgaribus*, *verum hæc ipſa peritos ali-* „ *quando Medicos latet*.

Felix Platerus, Archiater, ac Profeſſor *Baſilienſis*, in ſaluberrima tempeſtate, citra ulla, quæ peſtis prodroma habentur, ſigna obſervata Mortalibus, coortas vidit Peſtilentias; ſignis vero ipſis confertim exiſtentibus, aliquando nullam; quæ cum adnotaſſet *Fernelius* quoque, hæc eadem cum illo, veluti prodroma Peſtis, ejuſque remotiores cauſas, exſibilavit. Cæterum definitionem non dedit Peſtis, ſed more aliorum diviſionem in Peſtem ſine eruptione externa, & cum illa; in Peſtem febre ſociatam, eave carentem. Venæ ſectionis in Peſte fuit hoſtis. Notabile quod hiſce ſubjunxit: Quæ omnia diligenti, inquit, & longa obſer- „ vatione perſcrutatus, qui jam *ſexies* peſtilentiæ apud

nos

„ nos regnanti, interfui, & ad singulorum finem usque perseveravi, pesteque correptis fideliter adstiti, „ manumque adhibui, in medium, sicut hæc vidi & „ cognovi, proferre, Veritati potius quam ulli addi- „ ctus magistro, non dubitavi „ Licet obierit ferme octuagenarius, praximque prope sexagenariam coluerit, frequentiam tamen Pestis sæculo XVI. demonstrat sextus ejusdem eo temporis spatio reditus.

Prosper Alpinus, ortu *Marosticensis*, in Gymnasio *Patavino* Prof. ordin. pestilentialem in *Ægypto*, quam hujus miserandi morbi Scatebram plures habent, longiore mora edoctus, sic de illa *Med. Ægypt. Edit. Venet.* 1591. *pag.* 29. Neminem nostrum arbitror, qui „ ignoret Pestem, sivè Pestilentiam, esse corporum in- „ gentem, ac summam putredinem, perniciosissimi ve- „ neni qualitate præditam, quæ sævissimam stragem in „ loca ab ipsa infecta inducit.

Raimundus Mindererus, Reip. *Augustanæ* Physicus, videtur id omne diligenter legisse, quod ab ipsa Medicinæ origine, in ejus usque tempora, scilicet in sæculi XVII. principium, de Peste traditum est. Definitiones cum Veterum tum Recentiorum, imperfectas esse censens, unius vero *Julii Palmarii* ceteri existimans perfectiorem, suam dedit: „

„ Pestis (inquiendo) est lues venenata, summeque „ letalis, & contagiosa, cor primario afficiens, Fe- „ bre, Bubone, Anthrace, aut Exanthematis, ut „ plurimum comitata. „ In definitione non esse addendum quod plurimos afficiat occidatque opinatur, cum ignis v. g. natura æque intelligatur, multane an pauca eo conflagrent.

Lazarus Riverius Professor *Monspeliensis* in suo egregio opere *Praxeos Med. Libr. XVII.* multa de peste habet, inter quæ egregia non pauca. Febris cum malignæ, tum pestilentis, eandem definitionem habet, ita ut utraque pravis symptomatibus stipata, viriumque colla-

collapsu, humorum corruptionem subeat: interstingui autem alteram ab altera sic, ut I. in maligna periculum sit minus eo, quod in pestilenti: II. ut humorum utriusque corruptioni putredo superveniens, eam reddat pestilentem; non superveniente putredine, etiam maligna in pestilentem non mutetur. III. ut potior ægrorum pars in febre maligna vitam conservet; in pestilenti amittat.

Daniel Sennertus Wratislaviensis, Professor *Wittenbergensis*, Germaniæ *Galenus* quondam dictus, *Op. omn. Tom. V. Libr. IV. De Peste, Pestilentibusque, ac Malignis febribus*, Tria hæc distinguens, quia statuit de pestis natura non esse, ut febrim sociam habeat; sic proprie Pestem, seu Pestilentiam, definit: „ Morbus „ cordis venenosus, a materie venenata, cordique to- „ ta substantia peculiariter adversa, contagiosaque, ge- „ nitus, & proinde ipse contagiosus, omnesque cordis „ actiones subito & ἀθρόος lædens, maxime acutus, „ letalis, omnisque generis perniciosa symptomata in- „ ducens. Ita *Cap. I.* At *Cap. VII.* Febrem malignam appellat eam, quæ dictis malignitatis indiciis conjuncta, neque multos perimat, neque contagione afficiat quemquam; Febrem pestilentem illam esse retur, a qua & plures moriantur, & multi convalescant, & non admodum gravis contagii sit; tandem „ si plurimi, qui „ ægrotare incipiunt, moriantur, ac obvii quique „ inficiantur, imo contagium in loca etiam remota „ disseminetur, Pestis est.

Joannes Castellus, Augustanus Medicus, circa idem tempus edidit de Peste tractatum, in quo primum statuens non omnem Pestem aëris vitio nasci, idque exemplo pestis *Augustanæ* anni proxime elapsi 1607. suam denique definitionem sic scribit: „ Pestis est Epi- „ demia, ex prava halitus qualitate orta, diversimode „ afficiens, & plurimos perimere apta.

Pau-

Paulus Barbette, Medicus *Amstelodamus* celeberrimus, pluribus operibus clarus, conscripsit de Peste ex longa multaque experientia libellum, editum *Lugdun. Batav.* 1672. „ Pestis, ait, Morbus est incomprehen-
„ sibilis, cujus causa vapor videtur spirituosus, atque
„ contagiosus, sanguinis consistentiam subito solvere
„ valens, quo sic & viribus & vita cor privetur . . .
„ quædam sine febre est. Non paucis adfui, quibus,
„ alias sanis, bene & comedentibus, & dormientibus,
„ Bubones in inguine erant, in collo, sub axillis, &
„ post aures, malignitatem suam in curatione certius
„ manifestantes, bubonibus illis, qui, aliis in Subje-
„ ctis, febrem intensissimam comitem habebant - - -
„ Quædam Pestis cum febre est; & rursus, Febris
„ quædam Pestilens sine Peste.

Joannes Jacobus Waldschmidt, Archiater *Hassiacus*, *Marpurgensis* Academiæ Prof. primarius, *Tom. II. pag.* 92. *in Scrutinio Pestis*: „ Pestis est Morbus epi-
„ demicus, contagiosus, consistens in summa sanguinis
„ turbatione, per materiem aliquam subtilem, mali-
„ gnam, inducta, cum apparentia exanthematum, an-
„ thracum, bubonum, aliorumque symptomatum hor-
„ rendo apparatu.

Paulus Sorbait, Belga, Archiater *Viennensis*, di-
„ gnusque meus in hac cathedra Antecessor, in *Op.*
„ *theoreticopract.* 1672. *Viennæ editis pag.* 534. „ Si-
„ gna quæ Pestem indicant præsentem, sunt, quod sit
„ febris continua sine typo, vel humoralis, vel hecti-
„ ca, vel ephemera, spontanea lassitudo, & virium
„ repentina prostratio, capitis dolor, vigiliæ, delirium,
„ carus, syncope, pulsus obscuritas, cardialgia, vomi-
„ tus, diarrhœa a summa humorum malignitate pro-
„ veniens, sitis, urinæ variæ, maculæ purpureæ, bu-
„ bones & anthraces, glandulæ retro aures, sub axil-
„ lis. Notandum hic non ex urina tantum, sed ex si-
„ gnorum plurium syndrome esse judicandum. Si nem-

pe

„ pe plures *eodem tempore moriantur*, & prædicta ac-
„ cedunt signa, de Pestis præsentia conjecturandum est.

Balthasar Timæus a Guldenklee, Archiater Brandenburgicus, in *Libr. IV. Epist.* & consil. pag. 325. „ Pestis peracutus, periculosus, ac celer morbus, Cor
„ pervalide afficiens, spiritus vitales turbans, totiusque
„ corporis vires admodum debilitans subitoque proji-
„ ciens - - - - si autem Bubonum, Carbunculorumve
„ nihil foras prodit, non est quod de Peste quis mul-
„ tum sollicitus sit.

Laurentius Bellini origine *Florentinus*, celeberrimus *Pisæ* Med. Professor, Libro præstantissimo de *Urin. Puls. V. S. Febr. &c. pag.* 264. *&* *seqq.* „ Febris
„ pestilens dici solet, cum nempe febris maligna pri-
„ vata sit popularis, eorum, quos invadit, plerosque
„ necans, & contagiosa. Differunt Pestis & Febris pe-
„ stilens; neque enim semper pestis cum febre, sed
„ dantur pestes sine febre, ut apud rei medicæ Scri-
„ ptores. Cum autem pestis est cum febre, antece-
„ dunt, conjunguntur, & succedunt pesti eadem, ac
„ febri, ut patet. Differet autem pestis a febre pesti-
„ lente, ut genus a specie; cum enim pestis in gene-
„ re sit morbus communis, seu popularis, plerosque
„ necans, & contagiosus; quoties febris popularis est,
„ plerosque necans, & contagiosa, pestilens dicitur - - -
„ Exanthemata, Bubones, Carbunculi, seorsim specta-
„ ta, non erunt argumenta pestis, nisi cum aderunt
„ antecedentia; & conjuncta reliqua cum Peste: ne-
„ que enim omnis Carbunculus &c. est pestilens,
„ sed solum qui conjungitur, ac pendet a causis
„ pestis.

Christianus Joannes Langius (trium *Langiorum*, qui artem scriptis ornarunt, junior) *in Tomo II. Parte II. Cap. XIV.* §. *II.* Pestem a febre maligna nulla re discrepare censet, nisi syndrome symptomatum, qua-
„ si cunctorum, & quidem in exquisitissimo gradu,

„ cum eruptionibus ſingulariſſimis, quas Bubones, Car-
„ bunculos, & Vibices, appellent.

„ Signa diagnoſtica Peſtis *unice ex his eruptionibus*
„ deſumi debent. Poteſt tamen Medicus, populari-
„ ter graſſante hoc malo, ex aliis malignitatis ſym-
„ tomatibus ſuſpicionem haurire de imminente Peſte:
„ circumſpectione ſumma tamen id fiat neceſſe eſt, ne
„ alio morbo, per ſymptomata cum Peſte quodammo-
„ do conveniente laborantes, ad Noſocomia ſtatim,
„ & ad conſortio aliorum infectorum, releget.

Bartholomæus Caſtellus, Meſſanenſis, qui ante bina abhinc ſæcula floruit, in ſuo Lexico *Medico græco-latino* ex *Hipp. Gal. Avincenna*, præcipuiſque Medicis, nobis hanc dedit Peſtis definitionem: „ Peſtilentia, fe-
„ bris peſtilens, morbus peſtilens, λοιμὸς, eſt morbus
„ non quidem patrius, ſed Epidemius, contagioſus,
„ pernicioſiſſimus, communis, e communi cauſa natus,
„ adventitius, præſentiſſimi periculi, quippe qui ma-
„ ligna & venenata putredine humores, vitales ſpiri-
„ tus, & ſubſiſtentiam cordis labefactat. Hoc *Caſtelli* Lexicon auxit *Emanuel Stupanus* Baſileenſis Medicus, anno 1628. Repurgavit, tertiaque parte auxit *Adrianus Raveſtein* Roterodami 1644. iterumque 1657. Tandem *Jac. Pancratius Bruno* idem lexicon auctum pluries correctumque, poſtquam nova editione ornaſſet, denuo locupletiorem ejus, emendatioremque editionem *Lipſiæ* edidit anno 1713. Porro ex cunctis hiſce hanc demum confecit Peſtis definitionem: „ Λοιμὸς peſtem,
„ peſtilentiam ſignificat, morbum epidemicum, mali-
„ gniſſimum, & omnium pernicioſiſſimum, cujus de-
„ ſcriptionem generalem vix dare licet, propter ſum-
„ mam varietatem ſymptomatum, & latentem cauſa-
„ rum indolem, & diſpoſitionem. Quatenus a febre
„ peſtilente diſtinguitur, ita & memoriæ & doctrinæ
„ gratia deſcribi poterit. Peſtis eſt intemperies univer-

„ ſalis,

„ salis, toto genere maligna, contagiosissima, epidemi-
„ ca, cum omnis generis gravissimorum symptomatum
„ congerie, præsentissimoque vitæ discrimine; prove-
„ niens a massæ sanguineæ, & liquoris animalis, per
„ contagiosum quoddam & deleterium miasma, subita
„ corruptione, congelatione, coagulatione, fixatione;
„ putrefactione, & interdum totali mortificatione.

Thomas Willis, Professor Med. *Oxoniensis*, postea celebratissimus Medicus *Londinensis*, qui circa medium XVII. sæculum potissimum floruit; opera enim ejus omnia jam *Genevæ* edebantur anno 1646. dedit hanc nobis definitionem *Tomo I. Cap. XIII. de Febr.* „ Pe-
„ stis in hunc modum describi potest, quod sit mor-
„ bus epidemicus, contagiosus, humano generi summe
„ infestus, ex miasmate venenato, ab aëre primum
„ suscepto, dein per contagium propagato, ortum du-
„ cens: qui occulte & latenter homines aggressus, spi-
„ rituum extinctiones, cruoris coagulationes, ipsius &
„ partium solidarum syderationes & *νεκρώσεις* infert,
„ cumque apparentia Exanthematum, Bubonum, aut
„ Anthracum, nec non aliorum symptomatum horren-
„ do apparatu, ægros in vitæ periculum adducit. „
Pestem dividit deinde in *universaliorem*, & *circumscriptiorem*; ratione locorum; deinde in *simplicem*, quæ fere citra febrim, citraque vehementia symptomata, hominem veluti ex insidiis necat, & in *compositam*, quæ cum symptomatum aliorum morborum iliade sociata invadit; tandem in maligniorem & benigniorem; „
„ est enim pestis quibusdam locis, & temporibus, *lon-*
„ *ge mitior*, ut decumbentium plurimi evadant, quan-
„ doque *summe exitialis* est, ut plurimi correpti inte-
„ reant & ex centum ægris vix unus convalescat.

Vopiscus Fortunatus Plempius, ex patricia apud Amstelodamenses familia, Professor *Lovaniensis*, bona parte medii sæculi elapsi florens, in *Med. Fund. Lib. VI.* „
„ Pestis est morbus contagiosus, inquit, ac malignus,

„ natura ſua epidemice in animalia graſſans, & plu-
„ rima morti dans: comitatus plerumque febre peſſi-
„ ma, bubone, vel carbunculo, papuliſve, & aliis
„ perniciofis ſymptomatibus.

Yſebrandus Diemerbroeck, Medicus *Neomagenſis*, qui in Peſte annorum 1635. & 1636. deinde in ea anni 1667. numeroſos peſtiferos inviſit, eademque affectus ipſe fuit, Libro *de Peſte* ſic habet: „ Eſt peſtis
„ morbus communiſſimus, peracutiſſimus, perniciofiſſi-
„ mus, & maxime contagioſus, & maligno & occul-
„ to ſpiritibus, caloríque nativo, tota ſubſtantia infe-
„ ſtiſſimo inquinamento ortus; a quo omnium viſce-
„ rum, & inprimis cordis, functiones læduntur.

Thomas Sydenham Med. *Londinenſis*, quem nominaſſe, laudaſſe eſt, deſcripſit nobis Peſtem *Londinenſem* annorum 1665. & 1666, quam inchoantem fugit; *Nathanaële Hodges*, de quo mox, cum alio Medico, fideliter aſſiſtente peſtiferis; promotam vero, ac miteſcentem vidit, tractavit, cum, deficientibus Medicis, urbem repetiviſſet. Peſtem igitur ſic deſcripſit: „ Pri-
„ mus inſultus rigorem ac horrorem, quemadmodum
„ febrium intermittentium acceſſiones, fere perpetuum
„ habet comitem. Mox vomitus enormes, dolor cir-
„ ca cordis regionem, ac ſi torculari premerentur, fe-
„ bris ardens, uſitata ſymptomatum ſyndrome ſtipata;
„ indefinenter ægros divexans, donec aut mors ipſa,
„ aut benigna Bubonis vel Parotidis eruptio, quæ ma-
„ teriem morbificam foras ablegat, eos a luctuoſiſſimo
„ diſcrimine liberet. Rarius quidem accipit, ut ultra
„ ullam febris præſentionem ingruat, ac homines de
„ improviſo e medio tollat, maculis purpureis, præ-
„ ſentanei interitus nunciis, etiam dum in foro ver-
„ ſantur, erumpentibus.

Nathanaël Hodges, ejuſdem *Peſtis Londinenſis* teſtis oculatus, ac fidelis, in ejuſdem deſcriptione, pag. 39.
„ Peſtis eſt morbus, ab Aura venenata, ſubtiliſſima,

„ maxi-

„ maxime exitiosa, simul ac contagiosa, complures eo-
„ dem tempore diversarum Regionum corripiens; a
„ peculiari potissimum spiritus nitro-aëri alteratione,
„ veluti corruptiva ortus, cum febre, ut plurimum,
„ & aliorum symptomatum perquam gravissimorum,
„ satellitio stipatus.

Joannes Bernardus Sthaar, *Cracoviensis* Medicus, pestilentem febrim descripsit, quæ in *Cracoviam*, anno 1707. *Leopolo* ab errantibus *Hebræis* illata, hominum circiter 18000. peremit. In hac febre symptomatum funestorum omnium, quæ malignis in morbis quibuscunque, in quocumque functionum genere, observari solent, syndrome apparuit. Bubones aderant, anthraces autem nulli; & petechiæ multis, non omnibus, nigræ. Contagium velox. Extat *Sthaari* Epistola tantum in Actis *Lipsiens.* anni 1710.

Richardus Morton Londinensis Medicus celeberrimus, in *Append. ad Tract. de Febr. cont.* de Peste notatvi quid peculiare, cujus postmodum usus nobis magnus erit in curatione pertractanda, quodque tunc ex illo Autore præclaro integrum, referam, scilicet Febrim Pestilentialem ludere quandoque febris συνεχέος, seu continuæ remittentis personam; hanc in illam mutari, ac vice versa, & ἐπιδημικοτατὸν reddi sua vice utramque, alteramque alteri cedentem.

Onuphrius Bonfiglius, Medicus quondam apud *Polonos* celeberrimus dissertatione *Cracoviæ* edita anno 1720. *de Plica Polonica*, *de Peste*, *&c.* pestem quam viderat definit esse „ *Morbum endemicum*, vehementissime
„ acutum, malignissimum, & contagiosum, præcipi-
„ tanter ex uno populo plurimos afficientem, quorum
„ plerosque interficit, & sæpius intra quatriduum.

In Peste *Massiliensi* definitiones dabantur, unde pestis esse negabatur morbus ille, qui, ut capite proxime præcedente patuit, horrida Pestis fuit.

Autor anonymus *del saggio anastronomico* descripsit Pestem *Algerinam* quam ipse anno 1752. & 1753. *Algeriæ* vidit, interque plura notabilia hæc habet. „ Pestis „ ex occidentalibus Regni *Algerini* provinciis, in qui- „ bus a plurimis mensibus vehementer debacchata fue- „ rat, tandem a nonnullis Itineratoribus, quibus li- „ ber introitus pro more patebat, *Algeriam* invecta, „ manifestabat se in hac urbe, Junii principio, anni „ 1752. Abscondebat autem hæc Pestis se, *ut assolet*, „ per aliquod tempus titulo cæterorum communium „ Morborum, donec occultus hic ignis a ventis humi- „ dis, suffocantibus scilicet Austris, qui ejusdem men- „ sis initio flabant, fotus, tandem generale per urbem „ excitavit incendium".

Exp. Medicus *Adam Chenot*, qui Pesti in *Daciæ Transylvanicæ* quibusdam in locis ab initio Octobris 1755. ad finem Januarii 1757. sedecim igitur prope mensibus, non mediocriter grassanti interfuit, dedit, ut antea monui, *de Peste tractatum*, nitide, eruditeque conscriptum, magnique ob id faciendum, quod longo rerum usu, quod exprimentis cum propriis, tum aliorum; quod etiam non in aliis duntaxat, sed in se ipso, & initium pestis, & progressum, & sævitiem, ejusque exitum in sanitatem, probe expertus, animum demum admovit ad scribendum.

Porro Pestis latam ille descriptionem dare maluit, quam definitionem, annumerareque in eadem quæcumque symptomata in hac Pestilentia, cum eadem omnibus, tum alia aliis, & ordine vario, & variis incertisque temporibus, & diversa tam celeritate, quam vehementia, hominem adorirentur.

Secundum hanc Descriptionem, si quem morbus occupet, quia a miasmate aliunde petatur, qui cæteros acutos morbos ea superet vincatque acutie, ut jam inde a principio ea se jungant symptomata, quæ in aliis gravioribus acutis non, nisi seriora appareant, homines-

nesque ea violentia adoriantur, ut morientium pars bona quartum diem vix superet, multaque eorundem pars diem septimum vix attingat: Si *secundo* morientes, ibi potissimum, ubi manus medicatrix bona deest, numero aut superent reconvalescentes, aut æquent; aut saltem multos inferiores non sint eo reconvalescentium: si *tertio* non nisi ab Infecti cujusque consortio, rerumve inquinatarum (fomitem appellant) attrectatione, usuve, natus fuerit morbus: si *quarto* compertum sit luem in vicinitate grassari: si *quinto* æger idem, qui aut cum suspectis conversatus sit, aut res suspectas sibi applicuerit, horrorem nunc experiatur, subitam virium demissionem, stuporemque capitis, & anxietatem, & animi dejectionem spontaneam, dum interea eidem Pulsus, Calor, Respiratio, Urina, ab initio vix mutentur; ubi Petechiis latis, discretis, vel ante, vel post mortem conspicuis, intra 1. 2. 3. &c. diem obierit „ tanta, ait Autor, se jam prodit in uno „ hoc casu Morbi causas vulgares excedentis verisimi- „ litudo, ut Medicus, si non omnino pestem, saltem „ morbum suspectissimam, renunciare Magistratui, „ Magistratus vero subditorum saluti prospicere, nihil- „ que non ordinare teneatur, quod extinguendo immi- „ nenti incendio conducat.

„ Si *Sexto* æger sub ipsa jam invasione, aut post „ eandem, sub inguinum commissuris, pone aures „ (aut axillas) quæstus fuerit; si durities ibidem aut „ tumor sese exeruerit, firmior omnino evadit Dia- „ gnosis. Vix enim credo notum esse morbum, qui „ symptomata iis, quæ attuli, similia, cum tali dolo- „ re, duritie, tumore, ex loco, & adeo cito, conjun- „ git, qui non sit ipsa Pestis.

„ Si *Septimo* & ipse morbus in quibusdam ægris „ mitior, tumores illos protrudit, auget, & sub re- „ convalescentia in abscessum ducit, subinde & dissipat, „ tanto minor jam superest de vera peste dubitatio, „ quum

„ quum & una aliorum & præceps mors intercedat,
„ enarratique supra typi sese in ægris magis magisque
„ declarant, & prodant.
Si tandem Octavo *vel in uno ægro* reliquis indiciis
„ accesserit insignitus suis Phænomenis Carbunculus,
„ pertinacior sit oportet, qui pestem esse negaverit.


F. X. Bensa, in tractatu suo de Peste *Viennensi* anni 1712. 1713. 1714. nostram attentionem meretur; tum quod non modo totis hisce annis *Viennæ*, & *Posoniæ*, sed etiam in variis *Hungariæ* locis, jam ab anno 1708. pestem & vidisset, & tractasset; tum quod ipse & peste affectus fuerit, & Medicos decem, curam cum illo Pestiferorum gerentes, mori viderit. Hic autor *Cap. IV. de Diagnosi*: „ Quemadmodum Dia-
„ gnosis hujus mali, inquit, dum in progressu foris
„ per tumores ac maculas manifestatur, difficilis non
„ est, ita dum veluti favilla sub doloso cinere gliscit,
„ propter signorum æquivocationem non ita prompte
„ cognoscitur; eaque de causa plurimis neglecto, vel
„ insuper habito morbi principio, sero medicina
„ paratur.

Consilii sanitatis Viennensis amaras, audivimus, præcedenti Capite quærelas, de litibus inter sese Medicorum; quibus efficitur, ut cohibenda forsan principio Pestilentia, jam longe lateque divagetur: Sed repararunt ne graves illi, sapientesque viri, hujus causam infortunii? Descriptionem Pestis dedere, exemplo aliorum, ut quando tot diebus ingruerit, tanta ordine symptomata excitaverit, tantumque depopulata sit hominum numerum, ne simplicissimus quidem mortalium de ejusdem dubitare præsentia possit: adduntque de-
„ mum tandem contagiosum hoc malum larvam prin-
„ cipio aut Catarrhi gerere, aut Anginæ, aut Peri-
„ pneumoniæ, aut Pleuritidis, Diarrhœæ, Febrisve
„ ardentis, donec tandem Bubonibus, Anthracibus,
„ Petechiisve, malignitatis præbeat indicia suæ.

Con-

Confirmarunt sic & *Bensa* & *Cons. San. Viennense* id, quod *Gl. Sorbait* conquestus *pag.* 20. *Cons. Med.* fuerat, de Peste anni 1679. quæ primum personata, abjecta tandem larva sic sæviit in *Viennenses*, ut illorum plus quam 76000., tertiam forte Civium partem, interemerit.

Sufficiet, ni fallor, hæc operosa Autorum Collectio, ut quid ratione motæ quæstionis oporteat concludere, caput sequens perspicue doceat.



SECTIONIS II.

CAPUT QUARTUM

De iis, qua ex Cap. II. & III. concludi oporteat.

§. I. *Respondetur tandem ad prioris capitis quæstionem, quæsitam Definitionem Pestis hucusque desiderari; eo-quod omnes notæ hucusque definitiones, commemoranda ea signa omnia, quibus præsentibus nemo unquam de Pestis præsentia dubitare possit, minime nobis ejusdem incipientis tantummodo, notabilioribusque signis adhuc carentis, ideam comparant. Quare incipientibus Pestibus Medici & perplexi sæpe animo sint, & responsa perplexa Magistratui reddant?*

§. II. *Canones numero XI. quorum observatio certiores illos, in respondendoque veriores, redderet. Pestis contrahi potest, licet in vicinis Regionibus ignoretur. Casus Pestis falso denuntiatæ rarissimi sunt; negatæ autem veræ Pestis, tum frequentes, tum calamitosi. Quid hinc discendum sit? Animadversiones in Nosocomia*

comia publica, barbare Lazaretta. *Medium quoddam quærendum est inter Thracum negligentiorem curam, nostramque sollicitiorem.*

§. I. TÆdere me cepit productioris hujus Autorum, Sententiarumque, catenæ; neve Lectores meos dudum tæduerit vereor: sed erat semel hic exantlandus labor, uti ii, qui e Schola mea ad Pestem sive averruncandam, sive curandam, quondam admovendi sunt, Librorumque, quos consulant, nullam gerere secum suppellectilem possunt, unico oculi intuitu Bibliothecam Medicam inspicere, quidque aut supremæ Potestati referant de ~~natura~~ morbi, aut cum ægrotantibus agant, intelligere possint.

Intelligent quippe I. Pestis auguria illa, quæ vani Astrologi, quæ muliebris gens garrula, quæ molesta Atrabiliorum turba, de Cometis, certoque adspectu Planetarum, de Lusu puerorum ferali, de Spectris, de Avibus, de variarum Bestiarum peste, de inclementia cæli, de annonæ caritate, deque horum consimilibus, somniaverint, falsa partim, partim ridicula esse: eo quod ex adductis testimoniis constiterit, & cunctis hisce præsentibus, peste immunes mansisse mortales; & absentibus iisdem, peste occubuisse.

II. Pestis extare nullam ejusmodi definitionem hucusque, quæ datum Morbum pestilentem aut esse, aut non esse, determinet; quamdiu idem neque tumores & exanthemata generet, neque a reliquis morbis non pestilentibus, verum unice malignis, signo quodam pathognomonico discriminetur.

III. Medicorum haud paucos notasse non semper Bubonum, Anthracum, Petechiarum apparitione, ipsam Pestem denotari; siquidem eadem & cum febre, & sine febre, ab aliis causis gigni, inque externam corporis superficiem erumpere possint. Addam ad hæc, ex meis propriis observatis, in Nosocomio nostro contigisse,

tigisse, ut famulus Nosocomii, omni certe Veneris suspicione vacuus, Febre continua, Dysenteria, pluribusque Inguinum laboraret Bubonibus; cui tamen omnem Pestis defuisse suspicionem tam comitantia signa, quam subsequuta, manifesto evicerunt.

IV. Veras Pestis cum definitiones tum descriptiones, quæ dubitationem omnem, omnem sustulerint ambiguitatem, eas passim continere apparitiones, quæ in ejusdem principio ab ea ut plurimum absint; quæque dum adsint, Pestem & manifestam, & longe lateque vagantem, ostendunt.

V. Neque Viros illustres in Arte, qui ob nominis celebritatem præprimis consulti, morbum, qui occepisset grassari, pestem esse in Populorum negassent perniciem, quique postmodum errorem falsi, ore, scriptoque, essent, definitionem cæteris certiorem, explanatioremque, suppeditasse nobis; id quod, si res possibilis esset, ab ipsorum moto in aliis candore expectandum fuisset.

VI. Casum oppido rarum non esse, in quo Malignas febres pro Peste, hancque pro illis, tamdiu habere Medici possint, quamdiu signa, quibus postmodum a sese internoscant utrasque, sublitescant.

VII. Medicos Pestilentiæ, quæ modo inceperit, signis autem pathognomicis adhuc careat, multa debere anxietate premi; cum in dubiis rebus, non monentes Magistratum, in causa ruinæ regnorum hominumque esse possint, si vera tandem Pestis sit: sin vero monuerit, nec Pestis fuerit, Principum Magistratuumque pondus iræ indignationisque omne in se congerant; eo quod & cunctorum mortalium animos panico terrore permoverint, & Commercium, necessarium Commeatum, Reditusque regios, omnino suspenderint.

VIII. Varias omnino cum Medicorum, tum Magistratuum rationes esse, cur morbum, qui apparere inceperit, cujusque natura in dubium contagii possit vocari,

cari, communem malint, quam pestilentem, appellare. Medicos scilicet metuere, ancipiti, ut putent, in casu, eum declarare pestilentem, quod in re dubia, ne ipsi quidem inter sese consentiant; alii in affirmantem, in negantem alii, sententiam proni. Ea de causa, qui affirmaverint; æque Plebis, quam Procerum, sibi odium conciliant, periculumque incurrunt, quod & *Septalio* contigisse vidimus, & aliis in Peste *Massiliensi*, ne violentas experiantur Plebis desperabundæ manus, neve indignationem incurrant optimatum.

IX. Neque sæpe multos Medicos deesse, qui sive ipsi, sive eorum Consanguinei, Necessarii, Patroni, ab interdicto commercio damnum incurrerent: unde donec spes lucri ipsis in tuto sit, silentium altum tenent.

X. Magistratuum plerorumque damnandam consuetudinem esse, ut, dissentientibus inter se mutuo Medicis, in negantium facilius abeant, quam in affirmantium sententiam; & quod pejus, in paucorum negantia vota potius, quam in ea multorum affirmantium; quodque demum pessimum, ut obturato Medicis ore, unius alteriusve Chirurgi effatum sequantur; ut apud *Fornès*, aliosque, videre est.

§. II. Ex his omnibus, quæ sole clariora Historia Pestis demonstrantur, boni Medici in nascente Peste ancipites hærent de agendis. Ex cunctis tamen, quæ eadem Historia perhibet, Regulæ nonnulle, Canonesve, videntur formari posse, quas tuto illi sequi non possint modo, sed debeant.

Canon primus. Si Magnatum, Plebisque furorem metuant, monendo Pestem aut certam adesse, aut verisimilem; multo graviorem metuendum illum esse, si, ipsis tacentibus, Pestis post hæc & nota sit, & longe lateque debacchetur.

Canon alter. Cum monentes, conscientiæ dictamen sequuti essent, tacentesque suffocassent, consequitur ut prio-

priore casu publicum odium immeriti, atque ut probi Viri, qui DEUM, conscientiamque, omnibus mundi bonis commodisque intrepidi prætulerint, incurrerent: sin vero vel ex metu humano, vel ex lucri sive proprii, sive Amicorum, amore, ac studio, tacuerint, ingruatque interea Pestilitas, odium cunctorum sibi contrahent, metuendam Vindictam divinam habebunt, nec quo vertant sese, quove solamen capiant, alleventurque in ærumnis suis, ullibi reperient, adversum Cœlum sibi, Terramque experti.

Canon tertius. Si æqua lance ponderemus Reipublicæ damnum, ab intercepto commercio natum, Peste forte non existente, quæ credita talis fuerat, cum eo damno, quod Respublica ab eadem non averruncata, sed jam vagante, patitur, nulla profecto datur comparatio. Priore in casu commercii interceptio paucorum modo dierum est, moxque refloret; in posteriore annum & ultra ociatur. Nemo mortalium in priore perit; interit in posteriore incolarum sæpe potior pars. In priore commercio interdicto, Agricultura tamen, ceteraque negotia pergunt; in altero præ incolarum raritate manet inculta tellus, ita ut nullum reditum habeat a cessatis Respublica arvis, & λοιμὸν λιμὸς sequatur. In priore iterum casu exiguo modo tempore telonii Jure Princeps frustatur, tam advectarum, quam emissarum mercium; in altero per annum forsitan, annosve. Iterumque priore in statu sua cuique manent, Regi, populoque; in posteriore egestas crebro tanta, ut complurium annorum serie vacuum & inane ærarium publicum maneat. Tandem in primo cives fere nihil ab interdicto exigui temporis patiuntur, rerum abundantia fruentes; in secundo vel deest commeatus, vel desunt qui nobis inde necessaria parent, constititque toties plus Incolarum interire inedia, quam peste.

Quar-

Quartus Canon. Tempestivo morbi relatu dum Medicus rem curat publicam, una privatam curat; suæ quippe propriæ salutis, & familiæ, & consanguineorum: sic ut opportunæ relationis defectu, tam propriæ suæ, quam suorum, necis possit artifex esse.

Quintus Canon. Homo unus alterve, quem invaserit maligna admodum febris, pravisque symptomatis, ipsis etiam spectabilibus in Peste efflorescentiis, subito sustulerit, non urget ita Medicum, ut ejus certiorem ilico reddat Magistratum; sed ut expertissimis collegis casum narret eo fine, ut attendant illi an similem forsan observent & illi; utque, si observent, mox inter sese conferant de agendis. Ex præmissis quippe constitit & Malignos existere morbos, qui Pesti quidem simillimi, pestilentes tamen minime sint; & ipsam forte Pestem a causa interna in singulari homine nasci, absque vel ullo, vel notabili, aliorum contagio. Quod si illi spatio dierum complurium nihil simile detegant, totum alto supprimendum silentio est. Sin vero aliorum Medicorum unus alterque quid simile observet, res indicanda Magistratui videtur, uti in sinistrum eventum præparet se, si ejusmodi observata contingat ingeminari.

Sextus Canon. Bubones & Anthraces hominis unici, febricitantis, nec ne, non obligant Medicum ad renunciationem: quamvis enim vera forsan peste laboret, quia tamen primus modo est, in quo hæc appareant, & quia observatio haud oppido rara est ejusmodi morbi, citra vel minima Pestis signa, consequentiasque invadentis, supprimenda res silentio est, agendumque ut in Canone V. dictum.

Septimus Canon. Si vero horum aut ultimo aut penultimo observato, seu iisdem in ævibus, seu in illis, qui cum hoc homine conversati essent, quisquam eodem modo, sive simili, laborare inciperet, prudentis Medici foret habere de eo maturam cum Collegis delibera-

tio-

tionem, cum iisdemque invisere ægrotantum; & si brevi tertius illi similis daretur ægrotus, unanimi consensu renunciationem facere Magistratui tenentur; ut ad *Can. V.* Si autem intra complures dies nihil prorsum simile contingat ultra, indicetur hoc Magistratui, ut metum ille deponat, curamque omnem.

Octavus Canon. Si vero & III. & IV. ejusmodi morbus invaderet, perimeretque, monendum celsum Regimen foret, ut leges aptas disponere, ac præparare futurum posset.

Nonus Canon. Si tandem brevi plures ejusmodi morbo impeterentur, horumque mortem evaderent pauciores, serio Regimen de Pestis verisimilitudine majore monendum, ut promulgatis edictis sistat illam.

Quæritur num ea adesse Verisimilitudo posset, Regione quacumque confini ab ea labe immuni?

Resp. I. Posset omnino: neque enim hucusque adhuc demonstrata Pestis aut natura est, aut origo; sponteque sua eandem nasci posse, gravissimorum sententia Virorum est.

Resp. II. Et vicina Regna ab hac labe immunia esse possunt, & nihilominus res pestiferæ nobis inde adferri. Miasma quippe, in Sarcinis probe compactis, obfirmatisque, occlusum, a longe remotiore, sed clam infecta Regione, deferri ad nos per viciniora regna, urbesque sinceras potest, nostramque Regionem solutis & apertis mercimoniis, pestilentia inficere.

Resp. III. Pestis quandoque in vicina Provincia adest, sed vel suo in ortu ignoratur adhuc, vel politicis occultatur causis.

Decimus Canon. Cum longe crebrius contingat, ut Pestis in regiones immaniter sæviat, eo quod, diffidentibus de Natura Morbi Medicis, suprema Potestas eam suo in ortu prudenti cautione sistere neglexerit, quam ut Respublica præmaturiore Medicorum metu quid incommodi tulerit, videtur a Supremæ Potestatis sapien-

pientia & prudentia id expectandum esse, ut ad Casum *Octavi* & *Noni Canonis* Edictis suis curet ne, si qua Pestis sit, dilatetur.

Undecimus Canon. Ut sistatur Pestis, eave reddatur minus populatrix, conferunt Nosocomia *libera*, *coacta* obsunt. Conferunt *libera*, ut plebs egena civitatis, fame alias miseriaque magis, quam peste conficiunda, intra eadem, dum ægrotare incipit, recipi & ali, tractarique possit: *coacta* vero Nosocomia, vel *Lazaretha* dicta, salutari huic intentioni utrique obsunt, I. quod rudi, ac violenta manu, uxor a marito, hic ab illa, parentes a prolibus, ac vice versa, avellantur, eaque intrudantur in loca, quæ inferno pejora metuentes, metu, moerore, melancholia, consumantur; passionibus scilicet, quæ Pestem, per se forte adhuc curabilem, jam, testantibus uno ore Medicis omnibus, incurabilem prorsus, desperatamque reddunt.

II. Quod multi nulla Peste, sed aut cephalalgia, aut nausea, aut diarrhœa, &c. affecti, propter hanc Symptomatum horum cum pestilentibus similitudinem, violenta manu suis de ædibus tollantur, trudantur in Nosocomia, ibidemque partim mœrore, partim & maxime pestiferæ societatis contagione, peste demum afficiantur, & pereant.

III. Quod vulgus hominum, tota id docente Historia pestis, summo habere horrori hæc Nosocomia solet, actum de se inibi esse, seque victimam barbarici tradi ratum: unde consequitur id, ut qui peste incipiunt affici, vires iis, quas habent, majores simulent, querelam supprimant omnem, atque ita incidant in pestilentiam immedicabilem, cui si forte maturius Medici admoti fuissent, mederi potuissent.

IV. Ex ægrorum, qui in ejusmodi Nosocomiis decubuerunt, Medicorumque, qui eadem administrarunt, testimonio, evidens fit, coacta illa Nosocomia tantis demum ægris, farciri, ut Atmosphæra, vehementem

in

in modum pestilens reddita, longe plures numero trucidet, quam Athmosphæra civitatis: ut plures longe adsint ægri, quam aut locus convenienter capere possit; aut pauciores Medici, Chirurgi, Ministrique, decenter tractare queant: ut eorundem horum in perenni illatæ calamitosæ plebis incremento non adsit numerus sufficiens: & ut denique partim necessariæ administrationis inopia, partim athmosphæræ virulentia, longe numerosiores homines inibi, quam si domi decubuissent, moriantur.

V. Hujus sic descriptæ athmosphæræ virulentia, necesse est civitatum, provinciarumque contagium, incredibiliter augeri, quando ejusmodi Nosocomiorum magna in iis crebritas est; idque eo tetrius, quo eadem & frequentiora sunt, & confertis ægrotantibus magis farta.

Moderatius hic loquor, quam plerique Pestis Historiographi. Consulatur modo Vir reverendus *Muratorius*. Hæc omnia nobis tam vivis depinxit coloribus, ut, qui legerit, vix temperet a lacrymis. Sed quid plura? In Peste *Viennensi* annor. 1713. & 1714. Nosocomium tale extra urbem constructum, spatio XIV. mensium ex 9337. ægris, servatos duntaxat 3501. salutavit; sic quidem, ut perierint duo ferme trientes, hosque inter Medici decem, & Chirurgorum, Dispensatorumque, ut vocant, propemodum quinquaginta. Et Anonymus Autor, testis oculatus *Algerinæ* pestis anni 1752. & 1753. „ In ædibus libero aëri expositis
„ civitatis, mortuus infectorum modo triens (pars tertia) est; in Nosocomio Hispanico Regio autem, cum
„ omni possibili auxilio artis, periit bessis, (seu duæ
„ tertiæ partes) eo quod in Nosocomio & nimium conclusi, & arctati, ægroti decumberent. Additque tam
„ eadem in Peste quam in truculentissima illa triennali,
„ quæ quondam duos incolarum trientes depopulata erat,
„ duos modo homines in palatio Regio pestilentia affe-

„ ctos fuisse; eoquod Palatium, licet incolis scatens,
„ vastissimum tamen sit, libera perflatum aura, ac vi-
„ væ aquæ multiplici scaturigine irroratum, ac refri-
„ geratum. Hac ipsa observatione gignitur quæstio an salubre tam pestiferis, quam sanis, Consilium sit infectos suis in ædibus sic obserandi, ut perpetuo claudantur januæ, fenestræque? Utique non ventilatur ibi aër miasmate infectus, qui proinde damnosior fit ægrotantibus: porro cum januas nihilominus aliquando patere oporteat, ut vel Medicus, introeat, vel Chirurgus, vel Confessarius, vel qui res adferunt ad victum necessarias, contagio profecto densatiore, atque perniciosiore, omnium illorum vestes penetrabuntur, idemque auctum contagium aliis afferent, pestem in urbe augebunt, immaniorem ea, quæ viget, reddent, & ipsi illi, qui istiuscemodi pestiferos inclusos adierint, graviore peste affligentur. Neque juvat portam fenestramve his intrantibus, morantibusve, apertam esse, nam hujus infectissimi aëris ventilatio non est horulæ opus. Si igitur Medicina demonstratum sit ab aëre non, aut parum renovato, communes acutos morbos in malignos verti, respirationem vehementer lædi, extinguique ægrotum; quid non timendum tandem, quando aër miasmate pestifero, eoque coagmentato, saturetur? *Thracios* ridemus, & damnamus, ob ipsorum in peste incuriam, & negligentiam: sed inito tam ipso suorum, quam nostrorum mortuorum Calculo, rident nostras forte redundantes curas, ut mox in exemplo *Algeriæ*. Utinam vitatis extremis, medium salutare attingeremus! Porro eo sequentia tendent.



SE-

SECTIONIS II.

CAPUT QUINTUM.

De Petechiis & sudatoria in Peste cura.

§. I. *Ut via illa intermedia inveniri forsan posset, initium fit a Petechiarum descriptione, curaque. Petechiarum in Peste natura ab his salutaris describitur, ab illis letalis; tot conditiones a pluribus requiruntur, ad hanc illarum salubritatem, ut sive cum Petechiis, sive absque illis, impossibile sit hominem mori, propter signorum reliquorum præstantiam. Sententia de Petechiarum Letalitate veri admodum similis. Multa de Petechiis notatu digna ex* Chenoto, Diemerbroeckio, Muratorio, Sydenhamo. *Ceterum Petechiarum in morbis acutis, malignisque, tanta fuit in Nosocomio Practico* Viennensi *raritas, ut posterioribus annis in* 300. *minimum acutis, ne semel quidem potuerint demonstrari Medicinæ Auditoribus.*

§. II. *Conclusio ante dictorum. Laus* Sydenhami; *cujus Pestis curandæ prior Methodus præmittitur, & commendatur, ne Petechiæ nascantur. Laudatur ejusdem quoque altera Methodus.*

§. III. *Sudor quandonam in peste bonus. Generalis conclusio.*

§. I. UT in cura Pestis salubriorem solita, tutioremque Methodum addiscamus, quædam præmittenda sunt de Petechiis Pestilentibus; ut earum occasione ad curam Sudatoriam animum advertentes, prositne illa, an obsit, evidentius percipiamus.

Petechias & Vibices, rubras, purpureas, lividas, nigrasque in Pestilentia Efflorescentias, omnes notant, qui eam descripserint, latiores aut arctiores, planiores aut elatiores, maturiores aut seriores; hi criticas, illi ambiguas, alii iterum certo certius letales.

Exp. Chenot, in sua de Peste dissertatione varias harum, quas observavit, species tradidit: ac primo quidem Petechias miliarium forma; quas salutares descripsit, *si die Critico*, *si morbo mitiore*, *si ceteris bene aut plerumque pergentibus*, *si cum Symptomatum levamine*, si tandem apparentibus cum Bubonibus, tum Carbunculis, supervenirent: loquitur deinde de Petechiarum alia specie, quæ & parvæ erant, & numerosæ, & confertæ, quæque *si cum conditionibus prioribus sive omnibus*, *sive quibusdam prodirent*, neminem leto dederunt: sermonem & de tertia Petechiarum specie habet, quæ macularum latissimarum forma, cum colore uniformi aut rubro, aut etiam purpureo erupit; quæ species cum descriptis antea speciebus concurrens, *sub iisdem reliquis conditionibus bonis* grave negotium nemini facessivit: quarto refert maculas rariores, una cum Petechiis lenticularibus prodeuntes, purpureas, lividas, oblongas, Vibices vulgo dictas, quæ non videntur ominis fuisse pejoris: quintam demum Petechiarum discretarum speciem perhibet adfuisse, quæ lentem diametro aut æquantes, aut superantes, *pravis cum signis morbis reliquis*, plerumque funestæ erant.

De bonitate aut malignitate harum quinque Petechiarum specierum concludere vix quidquam possumus: cum bonis quippe reliquis morborum signis, vix prava signa nocent; cum reliquis signis sinistris, fere nunquam dextra prosunt. Cum itaque hæc, & id genus plura aliorum Autorum, generaliora sint, quam ut consequentiam legitimam inde formemus, adeamus alios, & præcipue, qui instar omnium est, *Diemerbroeckium*; qui, quod audacia incredibili emineret, & naturam a

peste

peſte vix expugnabilem haberet, & cùm artis promovendæ, tum proximi ſui juvandi eximio fulgeret amore, nobis ejuſmodi dedit de peſte Tractatum, ut jure dubitem num exemplorum numero, obſervationumque præſtantia, parem illi in tota Bibliotheca Medica poſſideamus.

Hic igitur vir præſtantiſſimus pag. *66.* „ Exanthe-
„ mata peſtilentia, inquit, quæ vulgus, *Mortis* & *pe-*
„ *ſtis maculas*; Itali *Petechias*, *Peticulas*, & Lenticu-
„ las; Galli *Purpuras* & *Papiliones*; Belgæ *granum*
„ *piperis* appellant; ſunt maculæ purpureæ, vel ru-
„ bræ, vel nigræ, vel violaceæ, ut plurimum rotun-
„ dæ, aliquando latæ, oblongæ, aliuſve formæ, in
„ ſumma cute efflorescentes. Pag. *67*. Hæ ſemper lon-
„ ge periculoſiores ſunt, quam Carbunculi, aut Bu-
„ bones; non ut cauſæ, ſed ut ſigna: quia in his
„ Cor adeo validum eſt, ut perniciosum venenum
„ verſus externas partes depellere, & ſanguinem a pe-
„ ſtilenti corruptione præſervare poſſet: in illis vero
„ adeo debile eſt, ut nec venenum foras expellere, nec
„ ſanguinis corruptionem avertere poſſit; quod breve
„ inſequuturæ mortis indicium eſt. Unde fit, ut ex
„ ſexcentis peſte laborantibus vix unus evadat, cui
„ Exanthemata in cute apparent.

Et pag. 73. „ Multi magni nominis Medici has
„ maculas, quocumque tempore prodeuntes, & præci-
„ pue die decretorio apparentes, ſcribunt eſſe ſaluti-
„ feras: inde ſeducti, vel quod earum cauſam & ori-
„ ginem non ſatis cognoverint, & ipſum venenum pe-
„ ſtilens per has maculas putaverint; vel quod ſola
„ inani ſpeculatione ducti, gravi ſtylo multa de peſte
„ ſcribant, cum nihil de ea viderint, nec quidquam
„ de ejus hiſtoria curioſe ad veritatem examinaverint.
„ Quantumvis enim eorum rationes hujuſmodi criticam
„ evacuationem probare videantur, neceſſe tamen eſt,
„ ut experientiæ, contrarium docenti, hac in parte ce-

„ dant: neque interest quam acute & docte de hujus
„ criseos bonitate disputent, si subrepens mors pen-
„ dentis litis decisionem faciat. Nos semper observa-
„ vimus exanthematum eruptionem symptomaticam,
„ nunquam vero criticam esse, & semper naturam
„ succumbentem indicare. Qua propter simul ac in
„ hac Peste exanthematum eruptionem animadverte-
„ bamus, omnem vitæ spem abjiciebamus - - - Ne-
„ que exanthematum multitudo, quam multi tanquam
„ salutarem laudandam censent, neque paucitas, ma-
„ jorem vel minorem spem sanationis dabat: nam plu-
„ res maculæ majorem quidem veneni violentiam &
„ quantitatem, majusque spirituum vitalium damnum
„ indicabant, causam vero morbi nihil imminuebant.
„ Æque cum paucis & parvis, quam cum innumeris
„ majoribus, per totum corpus copiosissime erumpen-
„ tibus, moriebantur ægri. Atque in tota hac trucu-
„ lentissima peste Unum solum, cum exanthematibus
„ purpureis copiosis evasisse vidimus; cujus historiam
„ raritatis gratia *Libro IV.* adnotavimus.

Porro ad hanc historiam, ibidem enarratam, sic ipse commentatus est. Quod exemplum hac tempestate
„ pro rarissimo habendum erat: nam in tota hac tam
„ furiosa peste, præter hunc puellum, nullum un-
„ quam vidi evasisse, cui exanthemata purpurea aut
„ nigricantia apparerent; sed quo plura & majora
„ prodirent, eo citius ægros semper interiisse: Reli-
„ qui etiam, qui peste infectos tractabant, se id nun-
„ quam amplius vidisse affirmabant. Exanthemata ru-
„ bra, parva, & non multa, *licet plurimis essent le-*
„ *talia*, cum his tamen pauci evadebant; cum pur-
„ pureis aut nigricantibus nullus. Ac propterea quod
„ maculæ illæ instantem mortem certissime pronuncia-
„ rent, Vulgus illas appellabat Maculas mortis, iisdem-
„ que apparentibus omnem spem de ægris abjiciebat.

Pete-

Petechiarum hiſtoriam ſed variæ, ut videtur, oppoſitæque naturæ, ex *Chenoto*, & *Diemerbroeckio*, dedi; volumen prægrande daturus, ſi ex omnibus Loimologicis, quid de iiſdem perhibeant illi, proponerem Lectoribus. Cui volupe eſt eos ordine pervolvere, is illas, & omnes, ſingula in peſte deſcripſiſſe; & vel criticas, vel ſymptomaticas, habuiſſe intelliget. Unius modo referam ſententiam, qui, ut omnes pervolverat, ita quoque cunctorum opinionem nobis compendio retulit; *Ludovici Antonii Muratori* ſcilicet; Viri apud *Italos* excellentis, quemadmodum apud Anglos *Hales*: divinis dicatus uterque, hic in Phyſicis, ille in Politicis, quidquid ad ſcientiarum augmentum, utilitatiſque publicæ emolumentum, modo referre quocumque poſſet, popularibus ſuis incredibili ſtudio, indefeſſoque labore, accommodavit.

Hic itaque primum *Libr. II. de Peſte Cap.* 8. ex collatis Medicorum omnium ſententiis demum collegit.
„ Salutares quidem eſſe Bubones poſſe, Anthraces au-
„ tem & Petechias, morbi vehementioris indices, fu-
„ neſtas eſſe, interitus hominum, ut plurimum, cau-
„ ſas. Clarius vero ac fuſius *Cap. X. pag.* 301. Eo-
„ rum ſententiæ nixus, qui in peſte tractanda potiſſi-
„ mum eminuerunt, aſſerere auſim, Petechias in ve-
„ ra Peſte ipſis Carbunculis deteriores eſſe; præſagium-
„ que ab illis infauſtius, quam ab his, habeo: ſiqui-
„ dem nos obſervatio docet Petechias, ſive purpureæ
„ comparuerint, ſive virides, ſive violaceæ, mortem
„ propinquam fere ſemper pronunciaſſe. Equidem Me-
„ dici complures, iique haud incelebres, ſalutares per-
„ hibuere eaſdem: verum merito hic quæritur, an
„ ejuſmodi eorundem ſententia non ex acutiore ratio-
„ cinio ſit potius nata? quandoquidem multo frequen-
„ tior experientia contraria eſt, ita ut in nonnullis
„ Peſtilentiis ne unico quidem die protraxerint vitam
„ ii, quos hæ invaſerant, etiamſi parca modo copia

„ comparuissent; morbo desperato habito, quocumque
„ demum modo apparuissent.

Hæc ubi scripserat *Muratorius*, anxie quærit, qui tandem rationem inveniat tantæ sententiarum discrepantiæ, tantarumque Observationis varietatum. Hanc
„ vero vix reperiens, nam loquor, inquit, hoc modo
„ juxta mentem, experientiamque reliquorum. Tan-
„ dem hanc conjecturam periclitatur. Non sum ab ea,
„ inquit, opinione alienus, *quod possint* nonnullæ Pe-
„ stilentiæ ejus naturæ, mansuetudinisque esse, ut quot-
„ quot eos, quos Petechiæ invasissent, saluti reddi
„ sinerent. Etenim persuasum mihi est ab una sola
„ peste, ratione aliquorum auxiliorum, symptomatum-
„ que, non & singulam, & omnem, dijudican-
„ dam esse.

Verum cum recte caperet sententiam de Petechiarum letalitate non ab unica, neque a paucis, sed ab omnibus fere Pestilitatibus natam esse, mox abruptum quidem repetens sermonem „ Petechiis jam extanti-
„ bus, inquit, vix ultra tempus est Medicamenta ad-
„ hibendi: sin autem contingeret, ut ægroti mox a
„ Pestis principio, remedia sudatoria, ceteraque pestis
„ præsidia, vocarent in opem, contingere etiam posset,
„ ut Natura ope Crisium aliarum magis juvantium,
„ se ab illo acri pestifero, quo opprimebatur expedi-
„ ret, Petechiasque, morbi & provectioris & pernicio-
„ sioris indices, omnino præveniret.

His rite perpensis, merito quæri potest an Autores, qui Pestiferorum Petechias salutares dixerunt, hanc illarum salutem rite probarunt? Dubitabilem hanc salutem reddidere observationes oppositæ, dubitabilioremque adhuc Observationes Petechiarum, in febre non pestilentiali apparentium.

Qui enim utrarumque harum Petechiarum Historiam deliberate contemplatur, interque sese confert, invenit, iisdem prodeuntibus, alias una prodire evacuatio-
nes,

ces, in ſalutem ſi tendat morbus: evacuationes ajo, ſingulas proprio genio Criticas, morbumque in aliis, citra Petechiarum expulſionem, perbelle judicantes. Hoc toties plenæ luci in compluribus *Operis annui* tomis expoſui, tam præclaris Medicinæ Scriptoribus, quam propriis meis frequentioribus innixus obſervatis: idemque de Petechiarum peſtilentium natura laudatorum Virorum præclara opera concludere jubent. Sic ut neque in Peſte, neque in Febre maligna, Petechiæ unquam Criticæ ſint, ſed triſtes ac fere certæ nunciæ Leti; niſi aliæ, eæque vere criticæ evacuationes, materiem ſive peſtilentem, ſive malignam, conſequenter & illam quæ Petechias aut genuerat, aut genuiſſet, e corpore eliminent.

Dum itaque per optimos, qui de Peſte egerint, Scriptores conſtat, in Peſte fere numquam ſalutares eſſe, criticaſve Petechias; dum de Petechiis in Febre maligna Virorum celebrium, *Sydenhami* cummaxime, eadem ſententia; eſt dum denique tanta Petechiarum acutis in morbis raritas ſit, in *Hippocratico* Praxeos exercitio, ut neque mihi, Medicinam in Noſocomio publice tradenti, conſiliiſque in urbe aſſiſtenti, neque ceteris Medicis, qui *Hippocratis*, qui *Celſi*, qui *Sydenhami* atque *Boerhaavii*, veſtigia premunt, nunquam, & nuſquam, hæ pluribus ab annis compareant; merito inde conficere videor, neque in Peſte, neque citra Peſtem, Petechias unquam eſſe ſalutares: ſin autem contingerit, ut, ſive in Peſte, ſive ſine Peſte, vel nonnulli, vel etiam complures, una cum Petechiis reconvaleſcant, id haud aliam ob cauſam fieri, quam quod natura per alias vias, vere criticas, ſeſe a virulentia morbi expediat; exemplo aliorum acutorum morborum, in quibus neque prodeuns aliquando ſymptomatica alvus, neque pravus per omnia ſudor, neque peſſima colore, odore, copia, contentiſque, urina, morbum curare dicuntur unquam, verum alia qualiſcumque evacua-

cua-

cuatio; quæ, si salus redeat, judicet ægrum. Tædio foret, ea argumenta repetere, quæ toties, ut quæ hanc sententiam adstruerent, confirmarentque, alibi attuli: verissima autem ea esse Auditores mei vel ex eo norunt, quod inter trecentos homines, qui lapsu posteriorum annorum in Nosocomio morbis decubuerunt acutis, malignisve, ne semel quidem ipsis Petechias, quas harum Regionum & frequentes, & necessarias ajunt, demonstrare potuerim.

§. II. Si itaque medendi methodus extet, quæ ab his Petechiis auctis in morbis præservet ægrotantes; si eadem certam fere mortem, ni ægrum aliæ evacuationes servent, portendere soleant; si Viri præstantissimi, iique numero haud pauci, Petechias pestilentiales tanquam tristes auguratrices necis, dirasque vitæ deletrices, toties deprehenderint; annon observatio adeo frequens, annon toties confirmata experientia, annon lugubris infinitorum pestilentiosorum interitus, id demum Medicis suadeat, ut, ne hæ superveniant pestiferis, sollicitudinem omnem, curamque adhibeant requisitam?

Certum quippe est, & numerum eorum, quos demetat Pestilitas, innumerabilem esse; & potiorem eorundem partem perire Petechiis. Teste *Villano*, Pestis anni 1348. quintam modo omnium universi orbis incolarum partem in vivis reliquit. Nec multo mitior illa fuisse censetur, quæ eodem XIV. sæculo bonam afflixit *Europæ* partem. Quæ anno 1564. *Sabaudium*, & confinia *Gallorum*, *Helvetorumque* invasit, ex quinque affectis vix plus uni pepercit. Et quæ sæviit anno 1576. *Venetorum* 60000. tanquam falce demessit. Pestis *Mediolanensis* anni 1630. describitur in Diæcesi illa, neque adhuc tum cessans, 120000. occidisse mortalium. *Londini* anno 1665. primo suo furore hominum mille unico trucidavit die. In Peste *Viennensi* 1713. decimus & tertius infectorum vix evasit. In alia Peste *Viennen-*

si

ſe antiquiore memoratur nonus quiſque ſervatus in urbe; in pagis vero circumjacentibus plus quam tertius. In Peſte *Maſſilienſi* ann. 1720. 1721. 1722. periiſſe hominum leguntur 60000. In Peſte *Tranſylvana*, quam exp. *Chenot* deſcripſit, duo infectorum periere trientes.

Eſt igitur major quidem, minorve, ingens tamen ſemper, pars hominum, quos mactet Peſtis, quorumque, Hiſtoriam fide, pars longe maxima Petechiis pereat. At vero *Thomas Sydenham* ſancte aſſeveravit nobis, dum ſua Methodo tractaret Peſtilentes, non ultra quemquam peſte occubuiſſe, neminem ultra ſcatuiſſe Petechiis. Ad rem hic *Muratorius: Sarà cura dei Medici il farne la pruova:* ea propter, quæ hanc in rem *Sydenhamus* proferat, patienter audiamus.

Duplicem ille agnovit Peſtis curandæ viam: inflammatoriam alteram, ſive antiphlogiſticam; alteram ſudatoriam, ſive hidroticam. Porro præfert antiphlogiſticam, præ altera laudat, experientiaque confirmat ſua: ſic ut miſſiones ſanguinis, largaſque illas ac repetitas, cum reliqua antiphlogiſtica cura commendet, & ſuis a partibus ſtare *J. Coſtæum* memoret, & *N. Maſſam* & *L. Septalium*, *Trincavellium* &c. maxime autem *L. Botallum*.

Hic porro *Botallus*, *Cap. VII. de Vena ſectione*, quater, ſexies, aut & ſepties, ſanguinis aut Libram, aut Libram ſeſqui alteram, de Vena, eduxit; qua in re cum *Sydenhamo* convenit: in eo autem *Sydenhamo* audacior, quod hanc curam inſtituat, Anthraces, Bubones, Exanthemata, adſint, nec ne; id quod innumeris in ægris ſibi e voto ſucceſſiſſe aſſerit, & quorundam fortunatis confirmat exemplis. Eo uſque auſus necdum eſt pervenire *Sydenhamus*, ceterum ſuam methodum mire extollit, confirmatque exemplo Chirurgi in caſtro *Dunſtar*, qui cum Peſtilentia præſidiariorum militum jam aliquot necaſſet, cunctis deinde venam liberaliſſime ſecuerit, illos tunc lecto commiſerit,

rit, effeceritque sic, ut, licet nulla medicamenta data essent, nemo horum, quamvis quamplurimorum, desideratus fuerit.

Laudat autem hanc methodum, præ hidrotica „ eo „ quod in multis, maxime calidioribus, ac juniori- „ bus, rarius bene prolecto sudore, Phrenitidem, aut, „ quod longe calamitosius, Petechias, Vibicesque con- „ cites. „ Præcipue autem Methodum inflammatoriam in Peste præferebat, tam quod peste jam inchoante, Ardens febris inciperet dominari, quam febrem venæ sectione, & emetico, ut præcedente biennio grassans febris requisiverat, aggressus, infeliciter pergentem videret, quartoque post decimum die necantem; quam quod sola antipleuritica cura, Pleuritide tunc quoque grassante, omnes eas ardentes febres fortunate curaret. Pestis interea popularis fiebat. Rus quidem tunc cum familia concessit; verum mortuis demum tot Medicis, ut, qui supererant, superstiti Pestilentiosorum numero curando non essent, *Londinum* rediit, & febres, quales abiturus reliquerat, pestilentesque olim appellare dubitaverat, nunc inveniens regressus, sua antiphlogistica, qua ante abitum, methodo aggressus est, mirificeque proficiens, ausus est „ Medicorum, „ qui grassante nupera lue in urbe perstiterunt, fidem „ appellare; num quis eorum Phlebotomiam larga ma- „ nu, ac repetitis vicibus, nec non tumore nullo ad- „ huc protuberante, celebratam, Peste laborantibus „ funestam esse viderint; Parcam quidem, vel tumore „ jam conspicuo, sanguinis detractionem semper damno- „ sam esse, neutiquam mirandum est. „ Evacuationibus his solebat & Ptisanam, & Diætam refrigerantem, semper adjungere.

Verbo moneam frustra esse, qui *Sydenhami* testimonium minoris faciant, quod Pestem fugerit: etenim redeunte eo in urbem & Pestis adhuc aderat, & qui communi methodo tractabantur, cum Petechias habue-

runt,

runt, tum magnam partem occubuerunt; quo ipso tempore methodi suæ præ ceteris præstantiam vidit, gavisusque *Sydenhamus* est, atque in veritatis testimonium ceteros Medicos provocavit.

Hæc nunc de *Sydenhami* methodo priore, sive mere antiphlogistica: sequitur altera ejus, quam excogitare non utilitas major, sed vere tristis necessitas coëgit. Cum enim præ hominum adversus Phlebotomiam in peste irradicato præjudicio, sæpe, pergere methodo antiphlogistica non posset, amplexus & sudatoriam est: quam quidem millenorum pestilentium interitu fatalem expertus, eo quod & brevius, & interruptius, sudor provocari soleret, sic demum cum auxit, tum emendavit, ut primum vena, ne cum sudoribus expellerentur Petechiæ, tunderetur, & mox a tunsa vena ægris in lecto optime tectis exhiberet Hidragogon, si id non vetaret vomitus: eo autem vetante, expectabat primum a tegumentorum pondere ac calore sudorem: cum jam eo oborto, semper aut lenirentur, aut cessarent conatus vomendi, dedit Sudatorium suum, inceptamque Diaphoresin haustu frequenti sive Zythogalæ, Salvia alteratæ, sive Cerevisiæ tenuioris, cui Macis tantillum intabuerat: promovit autem sudorem, non sic, ut post 2. 3. horarum sudorem, interquiesceret æger, bisque aut ter repeteret similem; quemadmodum Medentium plerisque, præprimis *Diemerbroeckio*, consuetudinis erat, sed ad diei naturalis spatium, absterfione interim omni interdicta; „ imo, ait, nec infra 24.
„ horas a sudoribus finitis indusium, utcunque madi-
„ dum, ac immundum, mutari permitto. Id quod
„ summa cautela observari velim. Quodsi sudatio an-
„ gustioris temporis limite circumscribatur, recrudescit
„ illico Symptomatum sævitia; atque ægroti salus, quam
„ prolixior Diaphoresis extra aleam constituisset, in acie
„ novaculæ relinquitur.

Mul-

Multus demum *Sydenhamus* est in reprimendo Medicorum metu, acsi præ continuato protractoque sudore præstaret sudor cum brevior, tum frequentior, ne æger vice una viribus exhauriretur suis; demonstravit autem e contrario omnium suorum ægrorum exemplis, continuato 24. horas sudore, vires in peste non modo conservari, sed augeri; testantibus id cum ægris, tum illorum necessariis: interea dum inter singulos breviores sudores plurimorum vires ita minuantur, ut fatiscant tandem. Quod hic *Sydenhamus* enarrat, hoc luculenter ex *Diemerbroeckio*, sudoris brevioris, frequentiorisque patroni, demonstrari potest.

Die porro sequenti curat vitari frigus omne, indusium ad corpus arescere, cuncta calide sumere, continuareque Zythogalam: die autem tertio Purgans antiphlogisticum exhibet. Atque hac medendi ratione, in„ quit, anno a peste proximo compluribus febre pe„ stilentiali correptis, sanitatem restitui, adeo ut ne„ unus quidem ex morbo eo mihi desideratus sit, post„ quam eandem exercere inceperam.

Longus fui, sed longus esse debui in hac doctrina, quod summi momenti ea esse videatur, quodque ab egregio *Muratorio* cunctorum Medicorum commendetur tentamini. Aliam quoque parit hæc longitudo utilitatem. Bibliotheca carere Medici Chirurgique solent, quos ad confinia Regnorum Pestis, vel averruncandæ, vel curandæ gratia, mitti contingit; &, si Bibliotheca gauderent, eam adeundi, consulendique, deficeret tempus. Opus itaque parvo ac portatili libro erat, in quo quid & dubiis, & arduis in rebus, consulere, seligere, atque admovere deberent, cito tutoque reperire possent.

§. III. Atque ita quæstionem de sudore magnam partem absolvisse mihi videor. Paucis repetam: Sudorem in Peste criticum habuerunt Viri præstantissimi, Historiæ Pestis commentatores; omnemque ab ipso morbi

bi initio curam eo verterunt: nonnulli tamen circumspectius ac limitatius. Sic *Exp. Chenot.* Canon. 4. „
„ Sudor lenis & constans, Bubonum & Carbunculo-
„ rum exortum & elationem praeeuns, aut concomi-
„ tans, nauseam anxietatemque tollens, aegros in tu-
„ to collocat. Sponte ab una parte patet cujus praestantia sudoris, siquidem cunctas notas refert, quibus acutorum omnium morborum sudor noscitur criticus esse; sed ab alia parte, etiamsi pravus foret ac symptomaticus sudor, signa, quae hic requiruntur, adeo praestantia sunt, ut demonstrent jam praegressam coctionem esse, ceterasque evacuationes bonas, &, cum sudore illaudabili, virtute laudabilium excretionum reliquarum redire sanitatem; quemadmodum principio hujus capitis jam monitum fuit.

Diemerbroeckius Canon. I. „ Criticae mutationes qua-
„ lescumque, diebus decretoriis incedentes, nihil cer-
„ ti promittebant: omnes enim fallaces erant: & cum
„ his etiam optimis, aeque multi moriebantur, quam
„ evadebant.

Et in nota ad hunc suum Canonem. „ Etiam copio-
„ si spontanei sudores, a quibus maximum levamen
„ expectabatur, valde incerti erant: nam etsi morbum
„ aliquando feliciter solverent, multoties tamen in prin-
„ cipio aliquam remissionem afferre videbantur, post-
„ quam longe gravius recrudescebat malum.

Paucis itaque, quod res est, dicamus. Si *Sydenhami* & Observationes & Demonstrationes, Medici prudenti tentamini quondam submittentes, veras illas certasque deprehenderint, acu tangent causam, cur alii sudores non laudarent, eos solos contemplati; alii iterum summa laude extulerint, tot bona cum illis signa contuiti, ut etiam vel citra sudores aegri servarentur; & quoque inde intelligent, quis verus modus, quod tempus, quis ordo, Methodusque sit, eos eliciendi, qui certo, qui tuto, qui soli, pestilentiam curent, sudo-

res.

res. Repeto itaque, urgeoque rem, quoad ejus facere possum: ad tantas strages ubique terrarum, ab omni ævo hucusque, a Peste editas, ita ut etiam arte sudatoria, qua pene omnes usi sunt, ex duobus, ex quatuor, ex octo, novem, imo tredecim; vix servatus unicus sit; si, quod adverruncet benignissimus DEUS! pestis denuo alicubi renascatur, & Medici antiquum obtinere præ *Sydenhamianæ* doctrinæ exactissima observatione eligant, vere inhumani multis videri, crudeles haberi, & certo quodam modo homicidæ appellari poterunt.

SECTIONIS II.

CAPUT SEXTUM.

De Venæ Sectione in Peste Speciatim.

§. I. *Absolutis sudoribus, quæstio de Vena in Peste secanda proponitur; quam multi damnarunt, sive extantibus nondum tumoribus, petechiisve, sive extantibus: multi iterum iis extantibus: nec fere pauciores laudant illam propulsis jam aut tumoribus, aut petechiis, aut utrisque: alii iterum prioribus modo post invasionem horis, primave die; alii per omne tempus morbi: hi tandem parce, illi profuse. Collatis oppositarum partium testimoniis constat, pestiferorum potiorem longe numerum perire, non secta vena, aut non profuse secta; vena largissime secta, potiorem eorum partem servatam fuisse.*

§. II. *Ergo* Sydenhamum, *suam proponentem Methodum, nihil novi dixisse ex prædictis patet. Recensentur*

Au-

Autores, qui a Peste Phlebotomiam proscripserunt, eorumque Objectiones refutantur. Quaeritur denique an Missionis sanguinis aut salubritas, aut letalitas, a tempore morbi, in quo fit, petenda sit? An a natura Nationis, Temperamentive? An a diverso Pestis genio? Respondetur ad quaestionum singulam.

§. I. DE Venae sectione, & cura sudatoria, multa in proxime praecedente Capite, sed promiscue, & u ice quatenus id Petechiarum petebat Historia, actum est: res tamen tanti momenti utraque est, ut peculiare sibi poscat singula caput. Primum itaque de Venae sectione, alias missione sanguinis dicta, aut Phlebotome, Phlebotomia, sit.

Discordia Medicorum, de vena in peste sive secanda, sive non secanda, tanta est, ut necesse sit ab origine rem repetere; ut in quamnam partem descendendum sit, clare assequamur.

Galenus Libr. XIV. Meth. Med. Cap. X. in cura Carbunculorum seu Anthracum, „ sed & incipiendum „ ab incisa vena curationem esse; id neminem latere „ arbitror --- nec illud obscurum Phlebotomiam, quae „ ad animi defectum usque sit adhibita, magis hic „ etiam collaturam: nisi tamen aliud quidpiam obstet „ ex iis, quae veniam incidi vetent.

Itidem *Libro de comp. Med. sec. loc. III. cap. II.* eandem laudat in parotide. Ne quid eorum negligerem, quibus se Scriptores Medici muniunt ad sententiam stabiliendam suam, *Galeni* hos ambos excitavi textus; nondum persuasus tamen hoc utrosque locos de Carbunculis, Bubonisque pestilentialibus agere, ut *Riverio*, & aliis, placuit.

Si *Criton Epid. I.* pestilentia laboravit, ut Commentatores volunt, & ut probabile est, *Galenus in Comm. ad hunc aegrum* judicavit venam in peste, jamque cum petechiis nigris, esse secandam. „ Admiratio-

„ ne dignum, inquit, cur huic homini, quam primum, „ incipiente morbo, vena secta non sit? sed scimus „ *Hippocratem* ad plurimos, quos scripsit, ægrotos, „ accersitum esse. Quamquam *Galenus* minus recte hoc miretur, quandoquidem *Hipp.* meram nudamque dederit *Critonis* historiam, citra vel minimum dati cujusquam, quod certe adhibuerit, auxilii mentionem, ex hoc tamen textu id recte conficitur, quod *Galenus* crediderit *Hippocratem Critoni*, qui pestilens fuisse creditur, etiam nigris maculis a principio extantibus, venam, ni serius fuisset advocatus, aperturum fuisse.

Felix Platerus, meticulosus omnino, vulgaribusque imbutus principiis, & raro quidem & parce misit Pestilentibus sanguinem; ejus autem candoris fuit, ut referri quid alii cum docerent, tum facerent, oportere ratus, hæc verba addiderit. „ Licet alii extremum ex „ illa (Phlebotomia) facientes remedium, tam copio- „ sa emissione sanguinis facta, ut animi inde seque- „ tur deliquium, se multos liberasse fateantur, & „ *nullam aliam nisi vehementem sanguinis detractionem* „ probent.

Hollerius venæ sectionis potius Patronus, quam Adversarius fuit, eam suadendo in Peste *si*, inquit, *eam omnia permittunt*: deinde etsi illam videatur, *prodeunte Bubone*, condemnasse, mox tamen commendat denuo, *nisi quid dissuadeat*, eamque, pro varia Bubonum sede, ex variis corporis venis.

Lazarus Riverius, doctrinam quidem scholasticam, secundum communem Medicorum de Vena in peste non tundenda opinionem, digessit, verum pluribus in locis, quasi altius ea sapere, & vitiosam illam hinc inde subolfacere visus, haud tamen ad rejiciendam vel illuminatus satis, vel satis audax, demum quid adversus tralatitiam, trivialemque consuetudinem, proprio marte excogitasset, strenueque exequutus esset, his verbis tradidit: „ denique silentio hic præterire nefas est insi-

„ insigne experimentum, quod mihi contigit, in fe-
„ bre illa Epidemica, quæ *Monspelii* sævissime grassa-
„ ta est anno 1623. ita ut media fere pars ægrotan-
„ tium interierit, peculiariter vero, quibuscumque Pa-
„ rotides superveniebant, quod solebat contingere cir-
„ ca 9. vel 11. morbi diem, omnes intra biduum in-
„ teribant; præcedente, aut eodem tempore accedén-
„ te delirio, stupore, motibus convulsivis, & pulsu
„ inæquali, frequenti, minutulo, & quasi formicante.
„ Cum autem plures hujusmodi vidissem, qui neque
„ Alexipharmacis frequenter adhibitis, neque attrahen-
„ tibus Parotidi admotis, juvari poterant; animo re-
„ volvens si qua via liberari possent a tam certo exi-
„ tio: Tandem cogitare cepi, ideo Parotides febribus
„ hisce supervenientes sinistri esse judicii, quod locus,
„ in quo fiunt, non est capax totam materiem mor-
„ bificam excipiendi, quæ intus retenta opprimit ægro-
„ tantem; ac proinde opus naturæ inchoatum solum-
„ modo evacuationibus suppleri posse, *Venæ sectione*
„ *scilicet*, *&* *Purgatione*: cum etiam *Galenus Lib. III.*
„ *de comp. med. sec. Loc. Cap. de Parot.* in earum
„ curatione phlebotomiam præscribat.

„ Verum huic indicationi maxime obstabat summa
„ virium imbecillitas, quæ tanta erat, ut jam versari
„ ægrotantes viderentur in agone mortis, quæ etiam
„ brevi succedebat. *Galenus* vero loco citato, dum
„ præscribit Venæ sectionem in Parotidum curatione,
„ duas proponit conditiones; nempe si adsit sanguinis
„ redundantia, & vires ferant. Quæ conditiones hic
„ omnino deerant: prius enim sufficienter sanguis de-
„ tractus fuerat, tum per phlebotomias iteratas, tum
„ per cucurbitulas scarificatas, tum etiam maxima ade-
„ rat virium ruina.

„ Hisce omnibus perpensis, auream hanc *Corn. Cel-*
„ *si* sententiam, si alias unquam, hic maxime locum
„ habere censui, ***multa*** scilicet ***in præcipiti periculo***

„ *recte fieri, quæ alias essent omittenda: & satius esse*
„ *anceps remedium in uno, aut altero experiri, quam*
„ *tot ægros certo exitio relinquere.*

„ Hoc etiam animos addebat, quod summa illi vi-
„ rium dejectio ab oppressione magis, quam ab exso-
„ lutione, proficisci videbatur. Ideo enim subito vi-
„ res corruebant, quod natura non posset grave onus
„ excutere; ejusque imminutione sublevatum iri spe-
„ randum fuerat.

Exemplo deinde primi, quem sic tractabat, ægri, rem confiamabat, cui parvam primo, vires exploraturus ægroti, Phlebotomiam suadebat, *quam facere renuebat Chirurgus senex & peritus, metuens, ne æger ad extrema redactus, in ipsa operatione expiraret*. Cum a parva Venæ sectione *Riverius* augeri potius, quam collabi vires perciperet, audacter instituit largiorem, alteraque die antiphlogisticum purgans dedit, ægrumque servavit. Omnibus inquit tandem, deinceps ægro-
„ tantibus, quibus succrescebant Parotides, venæ se-
„ ctio primum idque partitis vicibus, sequenti die
„ purgatio, a me præscripta est: sicque omnes, DEO
„ sit laus & honos! quotquot hoc tractati sunt, feli-
„ citer evaserunt, neque ullus amplius toto illo anno
„ ex Parotidibus interiit.

Notandum denique ex eodem *Riverio*, si in superveniente Carbunculo Vena aut antea non esset sufficienter secta, aut ferri ultra ab ægro non posset, eam tamen in loco Anthraci propriore adhuc instituti oportere.

Transcribere hunc quantumcunque longum textum oportuit; doctrinam quippe ejusmodi, animadversionesque continentem, quæ ingenio, attentione, experientia, e Scholarum pulvere, præjudicatisque emergere opinionibus, cordatum Medicum posse, luculenter ostendant.

At

At vero non erat *Riverius* de grege Medicorum primus, qui calcaret hanc insuetam viam. Ducem habuerat a quadraginta jam elapsis annis *Leonardum Botallum*, *Astensem*, Regis Reginæque *Galliarum*, nec non *Brabantiæ*, Ducis, Consiliarium, & Archiatrum, in Libro suo *de Venæ sectione cap. VII.* sic docentem: „ Ego, ut uno verbo dicam, nullam esse pestem puto, cui hæc (*Phlebotomia*) non possit esse salutaris „ supra omnia remedia; modo oportune, & quantitate convenie nte, usurpata sit: ratus eam aliquando „ inutilem inventam fuisse propterea, quod *tardius* aut „ *parcius*, quam opus esset, aut quod *utroque modo* „ circa eam usurpandum peccatum sit - - - - In hac „ tanta timiditate, & parca detractione, qui fieri potest, ut quis recte possit judicare quantum ea in „ pestilenti morbo prodesse valeat, aut obesse? Non „ enim morbus, pro cujus curatione requirebatur detratio librarum quatuor sanguinis, in quo una tantum detrahitur, si hominem interficiat, ideo interficit, quia sanguis est missus, sed quia non justo „ modo missus est, nec forte etiam opportune. Verum „ nebulones nequissimi, & ignavissimi, in id semper „ culpam convertere satagunt, non quod nocuit, sed „ quod per nefas a cunctis vituperari exoptant: aut „ si id nequitia non faciant, ignorantia tamen pravæ „ dispositionis efficiunt: utraque certe perniciosa, sed „ illa magis.

Longo postmodum sermone recensitis iis, quæ *Hippocrates Lib. III. Epid.* de Peste sive in sanitatem bona crisi, sive in mortem crisi aut mala, aut nulla, abeunte, tradiderat; concludit *Botallus*, & ad bonam crisin promovendam, & ad malam corrigendam, & ad deficientis vices supplendas, largam conferre, repetitamque Phlebotomiam. His tunc subjunxit: „ Ideo in „ morbis pestilentibus, in obsidione *Rupellarum*, in „ montibus *Hannoniæ* abhinc quadriennium, & *Pari-*

„ *fiis* toto hoc biennio, & *Cameracii* anno proxime „ acto, in omnibus meis ægrotis, qui innumeri fue„ runt, nullum præsentius ac salutarius, reperi, ipsa „ larga & tempestiva sanguinis missione. Addidit ad hæc Historias variorum pestiferorum, quibus aut Bubone, aut Anthrace, aut Petechiis, sive carentibus, sive scatentibus, multarum librarum sanguinis detractione vitam servavit. Inter multos alios Reverendissimum Episcopum *Sisternensem*, suum Nepotem, ab exitio redimere nisi octava, eamdemque larga, venæ sectione non potuit. Concludit asseverando „ febrem nullam „ pestilentem esse, cui non conveniat æque, vel po„ tius magis, Missio sanguinis, quam Synocho putridæ.

Neque solus *Botallus*, sed ejus coætaneus *Ludovicus Septalius*, in peste *Mediolanensi* ann. 1575. & 1576. secuit venam pestilentibus: in eo tantum adhuc vernalis Scholarum assecla, ut primo multum interstingueret inter pestem, quam caritas genuisset annonæ, aut quam afflasset contagium; phlebotomiam in illa impermissam, in hac vero necessariam, esse ratus: ut secundo necdum eam, quam & *Botallus*, & postmodum *Riverius*, sanguinis copiam detrahere auderet.

Præcipuum autem argumentum, quod *Septalium* permovit, ut adversus Scholarum doctrinam Venam tunderet, suppeditavit observatio, qua vidit, convictusque manifesto fuit, erroneam eam esse, falsamque doctrinam, quam propemodum tenebant omnes, quæque statuebat Pestilentium debilitatem non a suppressis, sed a concisis, confractis, perditisque viribus oriri. „ Quid „ æque sanguinem evacuabit, ait peccantem in toto „ corpore, tum & dolorem illum intensissimum miti„ gabit, qui sæpe vires dejecit, maxime cum partem „ nobilem obtinuerit, tum & materiem evacuativa re„ vulsione a parte retrahet?

„ Sic hac in re, ut & in superioribus experimentis „ certari, & contrariis quidem: ego vero in illa Pe-

„ ste

„ ste insigni 1575. & 1576. nostræ hujus magnæ civi-
„ tatis, profiteri possum, ex octo illis Medicis, qui-
„ bus peste infectorum erat cura demandata, inter
„ quos & ego unus eram, cum unus aut alter Venæ
„ sectionem in suis ægris aversaretur, *Fracastorii*, &
„ aliorum dogmatibus insistens, nec ex sententia cura-
„ tiones succederent, mutata sententia, aliorum exem-
„ plis & felicioribus successibus utique excitati, quam
„ præstaret sanguinem evacuare, tandem cognovere.
„ Unde etiam communi consensu in Peste hujusmodi
„ nobile remedium nullo modo prætermittendum esse
„ decreverunt. „ Forte loquitur de *Botallo*, ejusque fratre; de *Marescotto*, aliisque; qui phlebotomia pestilentiosorum tunc temporis clarebant: nondum tamen eorum tam celebritate, quam successu, eo usque persuasus, ut sectionem venæ æque largam, atque illi, institueret; minus reprehensibilis, si quod copia defuerit, suppleverit frequentia.

Coætaneus tandem *Sydenhamo*, *Michael Synapio*, scripto reliquit nobis, in peste anno 1679. *Viennam* dire populante, in Palatio Principis Celsissimi *Radzivil*, Poloniæ apud Augustum Cæsarem Oratoris, contigisse, ut quotquot vena secta esset, hi peste emergerent; utque peste perirent, quibus secta non esset: qua notabili observatione Autor ursit lectores, ut demonstratam a *Botallo*, atque *Sydenhamo*, veritatem amplecti non vererentur.

§. II. Nihil ergo novi in curam pestilentiosam invexit *Thomas Sydenhamus*, falsoque, aut Paradoxus, aut Heterodoxus, aut Neotericus habetur. Illustrans antiquorum complurium doctrinam, eamque luculentissimis testatissimisque exemplis confirmans, ut capite posteriore patuit, magnam inivit generis humani universi gratiam, æternamque meruit memoriam. Hæc novis argumentis multa postmodum probabunt, præmissa primum necessaria observatione.

Vix ex capi rationes possunt, quæ Cœtum Medicorum plurium sæculorum universum permoverint, ut tempore pestis in Phlebotomiam, veluti in populatricem artem, generisque humani destructricem, tam asperis vocibus moti sint, tam diro invecti calamo, tantisque debacchati clamoribus. Si enim paucos exceperimus, *Mercatum*, *Mercurialem*, *Forestum*, *Massariam*, *Z. Lusitanum*, *Sennertum*, *Ballosium &c.* qui aut primis sive horis, sive diebus morbi, parcam admiserint venæ sectionem, aut plethorico admodum in corpore, aut notabili adjuncta partis nobilioris inflammatione, concesserint eandem; omnes fere cæteri, quorum nomina in hoc opere toties recensui, citra vel minimam exceptionem illam condemnarunt. *Fallopius*, *Hildanus*, *Platerus*, *Paræus*, *Mindererus*, *Barbette*, *Diemerbroeck*, *Sorbait*, *Walschmid*, aliique complures, diserte scribunt, aut cunctis, aut pene cunctis, exitio phlebotomiam fuisse. Idemque Pestis Historiographi confirmare videntur. *Bernadinus Christini* in Historia Pestis *Romanæ* anni 1656. adeo perniciosam eam fuisse notat, ut Eminentissimus Cardinalis *Gastaldi*, rerum tunc temporis ad pestem spectantium Director, summusque Præfectus, dixisset jam *Gabrielis Fallopii* observationum patere veritatem, historiæque, quam *Gallopius* tradiderat, Medicis cujuspiam, qui in milliario hominum numero cum venam in peste tudisset, in vita vix binos servasset. *Muratorius Libr. II. Cap. IV.* perhibet in peste *Mutinensi* anni 1630. typis editam Admonitionem fuisse, quæ assereret experimento multiplici, variis in urbibus capto, Phlebotomiam, Alvique purgationem, & absolutam cunctis intulisse necem, & probabiliter numerosos illorum, qui ceterum servati fuissent, sustulisse.

Jure itaque suo mei me Lectores rogabunt, ut ex enarratis suspicio est, an forsan a varia morbi aut die, aut hora, Venæ sectionis infortunium, fortunave depen-

pendat? II. An a natura cum Nationum, tum Temperamentorum, tum quoque consociantis forsitan se alicujus cum Peste morbi, diversitas adplicati auxilii petenda sit? III. Num varia prorsum Pestis natura, sive genius, adhibitorum præsidiorum & varios efficiat, & oppositos effectus?

Primam quæstionem solvere quidem conati sunt *Mercatus*, *Mercurialis*, *Massaria*, *Z. Lusitanus*, *Capivaccius*, *Gemma*; præcipuæ vero *Sennertus*, & *Forestus*: ita quidem ut hic intra primas duodecim invadentis morbi horas, ille saltem ante Nucthemeri elapsum spatium, proficuam censuerint phlebotomiam, ultra id tempus neutiquam. Sententiam confirmare suam posterior annititur exitio universorum, quibus in peste *Delfensi* anni 1559. post elapsum diem naturalem tunsa vena fuisset. Hanc vero explicationem explosere *Paræus*, *Barbette*, *Hildanus*, & presertim *Diemerbroeckius*, asserentes priores duo in suorum temporum pestilitate iterata, hic in *Neomagensi*, absolutum omnium Venam sectorum interitum.

Aliam problematis solutionem periclitatus est *Sydenham*, observata morte eorum omnium, quibus in peste *Londinensi* missus sanguis fuisset, exorto jam aut Bubone, aut Anthrace, aut Exanthemate: at vero, extantibus jam hisce omnibus, Venæ sectione eripi e mortis faucibus pestilentes, numerosis experimentis demonstrarunt *Septalius*, *Botallus*, *Riverius &c.* ut supra patuit.

Hucusque igitur determinatum Phlebotomiæ tempus non videtur ejus in causa sive perniciei, sive salutis esse.

Alterum problema solvere annisus idem *Sennertus* est, una cum Eminentiss. Cardinali *Gastaldi*, *Pestaluzzi*, *Fornès*, & aliis. Dum enim *Sennertus* legisset fortunatas *Septalii* in peste *Mediolanensi* factas per sanguinis missionem curas, populi *Mediolanensis* Plethoram

ram cenſuit in cauſa eſſe inſecutæ mortis non ſecta vena; eadem vero ſecta, redivivæ ſalutis. Nunquid bene? Profecto quod *Sennertus*, quemadmodum *Germanos* ſuos, voraces homines, & potatores, multum plethoricos experiretur, tales & cives *Mediolanenſes* eſſe cenſuerit, in eo experientiam non conſuluit. Verum hac etiam ipſi concefſa temperamentorum oppoſitæ natura genris paritate, periiſſe ſaltem *Septalius* cum ſociis ſuis adnotaſſet eos, quibus Vena non plethoricis ſecta fuiſſet, & cum ceteris obſervatis ſuis cum poſteritate neceſſaria communicaſſet. Sed præterea, an tempore *Criſtini*, eoque *Fallopii*, nullus civium *Romanorum*; an in diebus *Paræi* nemo *Gallus*; an *Diemerbroeckio* florente, ne unus quidem *Belga*, plethoricus erat, eo quod vel omnes, vel prope omnes, vena in peſte tuſa, interirent?

Ad alteram *ſecundæ quæſtionis* partem, num ſcilicet inflammatorii morbi in peſte aut præſentes, aut abſentes, curam Venæ ſectionis ſalubrem, letalemque efficerent? *Sennertus* idem, multique alii, arbitrati ſunt differentiam hanc petendam eſſe a ſymptomatis inflammatoriis ſive Meningum Cerebri, ſive Pulmonis, ſive Laterum, Viſcerumve abdominalium; ita ut, qui talia paterentur, venam quidem ſecarentur, verum cum non ob peſtem, ſed ob inflmammationem ſecti eſſent, paſſim reconvaleſcerent.

Hoc ipſis concedere arduum eſt. Si & Peſtis corpora torquet, & inflammatio, materiei peſtilentis progenies, duo morbi occupant illa, quorum alteruter par eſt necando. Alter horum Phlebotomiæ frequenter cedit, adeoque eam poſcit: alter autem, unanimi ipſorummet ſententia, in mortem Phlebotomia ruit, ac propterea hanc repudiat. Quid tandem proderit ſic a morbo inflammatorio curari, ut ſimul ratione peſtis infallibilis ſequatur letalitas? Quod autem ipſa peſtis materies ſanguinem phlogiſticum efficiat, obſervatum

reli-

reliquorum inflammatoriorum Morborum in Peste silentium, sæpe observatum, evincit abunde. Ita ut non magis hujus, quam prioris problematis, admittenda, approbandaque solutio sit.

Ad tertiam *secundæ quæstionis* partem dico, Nationum quidem differentiam in morbis contrahendis non raro deprehendi, & vel modicam eandem, vel eximiam esse. Prout ex *Italorum* Scriptis & Narrationibus concludere fas est, Pleuritis ac Peripneumonia & crebrius, & maturius *Italos* conficiunt, quam plures alias Nationes. Vulnera Capitis alia atque alia in Regione curatu sive faciliora, sive difficiliora esse, præclarorum Chirurgorum scripta testatum reliquere. Hydropes in regione sicca calidaque cum rariores sunt, tum curabiliores, quam in humida frigidaque: verum hæc licet sponte fassi, non ideo hæc per experimenta in Peste patere persuasi sumus. In peste *Mediolanensi*, quæ est moderatioris Cæli Regio, in ea *Florentiæ*, quæ calidioris aëris civitas est, in illa *Siciliana*, quod Regnum, ardenti *Africæ* vicinum, peræstuosum est, in *Gallia* multo frigidiore, in frigida *Anglia*, *Belgioque*, apud gelidos populos *Boreales*, neque Pestium naturæ multum differunt, neque præsidiorum effectus. In *actis Lipsiensibus* anni 1727. video notissimum *Timoni* magnam afferentem paritatem pestis *Constantinopolitanæ* cum ea *Neomagiensi*, quam apud *Diemerbroeckium* legerat: convenit quoque cum peste plerarumque *Europæ* Regionum *Algerina*, cujus supra memini. Si itaque neque Pestes ipsæ inter sese differant, si quoque Venæ sectio æque in calidis, quam in moderatis, quam in frigidis Cæli plagis, homines a morte eripuerit, non video a Nationum differentia aliquam demonstrari ratione pestis disparitatem.

Quæstio tertia, proponebat an Pestis alio atque alio tempore haud esset mutata, sic ut præ mutata ejus natura Phlebotomia, quæ prius a morte vindicaverat homi-

hominem, eundem nunc præcipitaret in mortem, viceque versa?

Si in singula quaque Peste, diversis in locis, diversisque grassata temporibus, Phlebotomiæ sive occidentis hominem, sive servantis, adornata Historia esset, responsio facilis daretur; quæ nunc aliunde quærenda. Observationes factæ sunt in eadem pestilentia, in qua Medici, atque Historiographi, & curam debiti sudoris, quæ illis acceptior familiariorque erat, & curam Missionis sanguinis, quæ huc usque rarior, pari encomio extulerunt. Non videtur ergo a diversa Pestis natura diversæ methodi pependisse effectus. Quod vero plus stringit, in Peste *Florentina* anni 1630. 1631., notante *Muratorio*, Medicus *Rondinelli* suas curas jactabat, Theriaca factas & *Oleo Magni Ducis*; quod quid revera esset non exposuit quidem, calidioris autem naturæ esse docet, quia comparat, cum oleo dicto *Mathioli*. Porro hoc utroque remedio egregias laudat virtutes in iis, quorum non nimis ardens esset pestilens febris: dum ipsissimo tempore, locoque, *Filibertus Marchinus* methodum *Panormitanam* sibi præclare cessisse testaretur; *Panormitanorum* porro Methodus plane antiphlogistica erat, Emulsis constans, Lacte, Limoniorumque succo. Auxiliorum ergo, natura oppositorum, laudati utrinque effectus, tam in eadem ejusdem loci temporisque peste, quam in diversa locorum temporumque, præterquam quod responsum tertium II. Quæstionis confirmat, abunde docet ejusdem semper naturæ pestem esse, neque ex natura sua mutata efficere, ut antiphlogistica Methodus uno tempore juvet noceatque alio; siquidem tam in eadem, quam in diversa; tam in eodem anno, quam in remoto integro abinde sæculo, ex æquo profuerit.

Si itaque neque a varia morbi aut hora, aut die, qua facta Phlebotomia fuerit; neque a diversitate sive temperamenti, sive adjuncti morbi, sive regionis; ne-

que

que tandem ab ipsa Pestilentiæ natura, phlebotomicum hoc dissidium exponi, componique possit; nihil reliqui est, nisi ut Medici, in peste *Muratorii* salubre ac providum consilium sequuti, experimenta hæc accuratius ad incudem revocent, magnique *Sydenhami*, aut meram curam antiphlogisticam, aut eandem hidrotica mistam, sedulo imitentur; quo tandem num ceteris præferenda, postponendave sit, liquido constet.

Et sane multæ eo nos adigunt, gravesque rationes. Sudatoria Methodus ab omni ævo præcipuas in Peste egit partes; rariore admodum aut tempore, aut loco, aut ægrorum in numero, moris Phlebotomia fuit; rarissimo composita *Sydenhami* methodus: interea Necrologia docent singulis fere pestilentiis pestilentiosorum numerum longe maximum occubuisse fatis. Relinquitur ergo ut qui medendi modus institutus quidem longe rarius, verum a summis Viris multo præstantior inventus est, universalius postmodum, accuratiusque admoveatur. Sed de hac re mox pluribus.



SECTIONIS II.

CAPUT SEPTIMUM.

De Scarificatione Pestiferorum.

§. I. *Animadversio in omnes fere Medicos, qui Phlebotomiam damnantes in Peste, Scarificationes tamen, nec non Hæmorrhagias nasales, hæmorrhoidales, uterinas, imo ipsos Fonticulos, impense laudarunt. Conclusio inde, & augurium felix.*

§. I.

§. I. INvitus hujus Capitis materiem, coactusque, aggredior. Vereor enim, ne, quæ scripturus sim, Arti nostræ minus decora videantur; neve contumeliosi in Medicinam, quæ longe maxima mortalium, Eruditorum saltem, pars est, convicia in illam congerant. Honesti tamen Viri est ea, cujus publicam salutem interest, candide pandere.

Medici omnium, etiam remotissimorum sæculorum, in dies usque nostros, qui vel dubitanter, scrupuloseve, vel audacter & ignominiose, de Venæ sectione in Pestilentia scripserunt, omnes, si ex universa illorum serie vix unum alterumve exceperis, unanimi voto admittunt, laudant, commendantque eam sanguinis evacuationem, quæ scarificando fit; idque sic, ut qui ad certam diem horamque ita limitaverant Phlebotomiam, ut mortifera postmodum esset, hanc quovis morbis tempore concesserint: ut qui Venæ sectionem non, nisi & parcam, & raram admiserant, Scarificationem & profusam suaserint & crebram: ut tandem omnes, qui ideo Venæ sectionem damnaverant, quod vires, quas debiliores percipere pest feri solent, prorsum conjiceret, jam deposito quovis debilitatis, a perdita cruoris copia oriundæ metu, scarificando corpora sanguine evacuaverint frequenter, abundeque.

Scarificationis hujus Advocatos enumeraturus, deberem cunctorum pene nomina recensere, qui unquam de Peste commentati sint; *Galeni*, ajo, *Oribasii*, *Æginete*, *Fracastorii*, *Foresti*, *Mercati*, *Lommii*, *Fernelii*, *Mercurialis*, *Capivaccii*, *Willisii*, *Riverii*, *&c.* ita ut in tota Bibliotheca medica vix duos, tresve inveniatis, qui dubii de illa scripserint.

Interim pluribus ineptum, risuque dignum videbitur, debacchari in missionem sanguinis, eamque laudare; necis indubiam appellare causam, & vitæ servatricis ornare encomio.

An-

Annuerem illis, nisi Viri hi præclari justam tantæ discrepantiæ rationem existere autumassent. Quotquot illorum consulueris, uno ore cuncti respondent *primo*, Phlebotomiâ a peripheria corporum ad centrum liquida trahi, scarificatione neutiquam. *Secundo*, Pestiferis, cum passim sufferant ingentem debilitatem, Venæ sectionem, quod vires demere soleat, detrimentosam summopere esse; cum augendo debilitatem, tum vires ad expellendum per cutem venenum minuendo: Scarificationem e contrario vires non infringere ægrorum; adeoque hanc in projectarum corpore virium tutam, perniciosam alteram esse.

Primam hanc rationem ex *Galeno* probant omnes, licet non desint inter Venæ sectionis in peste instituendæ Patronos, qui contrariæ prorsum sententiæ *Galenum* fuisse asseruerint. Quid si *Galenus* docuerit utrumque? Sane *Septalium* haud inepte probare voluisse arbitror sententiam a *Galeno* traditam utramque fuisse, priorem *Lib. VI. de san. tuend. Cap. IV.* posteriorem *Cap. X.* Et *Galenum* in eruptione nigra morbi sive pestilentiosi, sive perquam maligni, Phlebotomiam necessariam judicasse *Cap. VI.* ostendi. Profecto nihil evidentius est. Si æger vera debilitate laboraret, quo plus illi demeres cruoris, eo potentius motum cordis, arteriarumque, ab intimis corporis penetralibus versus ejusdem circumferentiam imminueres, ita ut demum roseum ejus colorem pallor exciperet, caloremque algor. At vero si homo debilis est a copia sanguinis, arteriarum cordisque virtutem superantis, illique, verbi causa, miasma aut variolosum aut morbillosum, vix figere sedem in cute queat, sanguis de vena fusus, idque forsan iterato, restaurans amissum eo usque vasa inter & humores æquilibrium, efficit ut brevi corporis universa superficies harum papularum alterutra contegatur. Vere itaque *Galenus* docuit Venæ sectionem & adducere ad cutem, & abducere: Medici vero in Phlebotoboto-

botomiæ a cute abducentis *Galeni* doctrinam, quam in adducentis sententiam, proniores, inique sane eam in percuranda Pestilentia proscripserunt.

Negaverunt autem abducentem Phlebotomiæ proprietatem in Scarificatione deprehendi. Quo vero fundamento? In scarificatione æque arteriæ sauciantur, quam venæ: innumeris utrarumque ramulis vulneratis, prosilire sanguis solet lentior quidem, sed admotione cucurbitarum protractiore copiosus; copiosum autem in peste volebant. At vero quemadmodum in Phlebotomia fit, ita & in Scarificatione: fit revulsio a remotiore parte, & in propiorem attractio. An quia lentior fluor, ideo non avertit a superficie corporis? Et revellere illum censeo, & derivare, uti de Venæ sectione dictum; prout vera adest virium projectio, aut mentitia. Verum an quod hic una ex arteriis sanguis fluit, ideo minus a cute ad interanea venenum rapit? Cor non minus debilitabitur jactura emissi a se per arterias cruoris, quam ejusdem ad se per venas redituri defectu. Cumque perpetuo damnarent sectionem Venæ, si attendissent se Venas innumeras scarificando tundere, hanc præ illa debuissent in peste proscribere.

Alteram rationem a debilitate petierunt, quam ajebant a Phlebotomia gigni, hancque ideo perniciosam Pestilentiosis esse, quod una cum peste ingens virium debilitas illos invaderet. Huic autem opinioni partim mox responsum est, partim Cap. VI. Teste *Sydenhamo*, Practicisque universis, nunquam illa commentitia debilitas, ex æquilibrio inter solida & fluida, ratione exabundantis fluidi turbato nata, felicius in requisitum robur transit, quam liberiore effusione cruoris: hæc porro debilitatis, inveram falsamque distinctio, minus notata Veteribus, multisque Recentiorum neglecta, plurimos leto dedit.

Conficere igitur ex omnibus debeo, quæ adsit in Peste debilitas, eaque crebro ingens, hanc ab humorum

sive

sive copia, sive, quod effectu eodem redit, rarefactione, oriundam esse: nocuisse propterea Phlebotomiam in tot Pestilentiis, quod & rara illa, & parca, institueretur; id quod in Acutis, etiam non pestilentibus, quotidie observari datur. Hinc secundo, unanimi cunctorum voto laudatas scarificationes esse, quod cum falso crederentur neque a peripheria ad centrum convergere humores, neque nocere, frequentes licet, abundanteque adhiberentur, ingentem solverent humorum de corpore copiam, sicque & simulatam debilitatem emendarunt, & naturam coctioni aptarent. Omnis Pestis historia, tam operose hucusque relata, hanc conclusionem nobis necessario format, quam suo tempore *Septalium* & *Riverium*, formantes audivimus.

Confirmant eandem haud pauca, quæ visa sunt Autoribus, qui illa tradiderunt, paradoxa.

Ac primo quidem *Plateri*, Phlebotomiæ in pestilentibus osoris, testimonium, Cap. VI. relatum. „ Licet „ extremum ex illa (Phlebotomia) facientes remedium, „ tam copiosa sanguinis emissione facta, ut animi inde sequeretur deliquium, se multos liberasse fateantur, & nullam aliam nisi vehementem sanguinis detractionem probent.

Secundo, testimonium *Angeli Bellichochi*, cujus de Peste conscriptum italice libellum nobiscum communicavit *Joachim Camerarius*. Pestem Venetam anni 1576. describens; eandem scilicet, de qua egit *Hyeronimus* uterque *Mercurialis & Capivaccius*, „ deprehensum similiter fuit, inquit, tum maculas, sive petechias, „ nigras deteriores fuisse, quam est Carbunculus, vel „ Bubo; quod in aliis Pestilentiis contrarium observabatur; illisque Venæ sectio admodum nocuit. Hucusque convenit cum duorum laudatorum Virorum opinione: en autem quid illi extorsit Veri amor: sic „ applicatio Hirudinum ad hæmorrhoidas venas *plurimum profuit*.

Tertio, in peste non modo Phlebotomiam, sed cum *Minderero*, aliisque, & narium Hæmorrhagiam, & Catamenia feminarum, damnans *Diemerbroeikius*, abesse tamen non potuit quin traderet posteritati observationem, quæ illum profecto, ni præjudicata Veterum opinione abreptus fuisset, in veram pestis, ejusque curæ, perduxisset notitiem. „ Qui pestem, inquit, an„ ni 1568. describunt, testantur tum temporis febres „ pestilentes fluente ex naribus Sanguine copiosissimo, „ eoque florido, maxima ex parte fuisse judicatos; & „ quamvis ad Leipothymiam usque proflueret, fere „ omnes tamen, quibus hæc crisis accedebat, fuisse „ sanatos.

Quarto, *Paræus* hostis Venæ sectionis in peste implacabilis, *Paræus*, ajo, qui evacuationes quascumque sanguinis damnabat, tamen *Libr. XXI. Cap. XXV.* largioris narium hæmorrhagiæ emolumenta contemplatus, eandem aut narium scalptu, aut validiore emunctione, aut setæ equinæ irritatione, *profusam* in Peste provocare hortatur.

Quinto, An forte huc quoque quidquam confert *Hildani*, omnis evacuationis in peste proscriptoris, observatio, *Cent. IV. obs.* 23. „ Neminem, quod notan„ dum, eorum, qui Fonticulos in cruribus & brachiis „ habuerunt, præter unum aut alterum summe caco„ chymicum, peste obiisse memini. „ Quamvis enim, quæ inde fit, modica, sit lentaque evacuatio, quia tamen & perennis est, & ejus auxilio humorum fit jugis ad hos locos determinatio, primordia infectionis una eliminare de corpore potest. *Hildanus* in hac peste, scilicet *Lausanensi*, uxorem suam curandam habuit, filios duos, totidem filias, unamque famularum. Hanc, filiasque, sublatas peste luxit, filios cum conjuge servavit, ipseque per omnia sospes „ proinde Fonticulum „ præsentaneum Præservativum esse, inquit, tempore „ pestis, cum in aliis multis, tum etiam in memetip-

„ so,

„ so, observavi. Ego enim duos habeo, alterum in
„ brachio sinistro, alterum in poplite dextro.

Diemerbroeckius cum in Historia CX. similem curam felicem notasset, sic perrexit: „ Fonticulos ad praeser-
„ vationem a peste inter praestantissima auxilia semper
„ habuimus, & multoties observavimus, si quid vene-
„ ni jam intus conceptum esset, illud per eosdem vel
„ sponte naturae, vel medicamentorum ope, insigniter
„ & cito evacuatum fuisse; quod ex praedicta Historia
„ manifesto liquet. Illud ipsum de Fonticulis ab ex-
„ perientia testantur etiam *Mercurialis*, *Hercules a Sa-*
„ *xonia*, *Georgius*, *Hildanus*, *Joannes Arculanus*, ali-
„ que magni Practici. Potior itaque Autorum aut Historiographorum pars hoc Fonticulorum privilegium confirmat; pars minor dubium habet; minima negat.

Si itaque Venae sectiones cum modicae, tum rarae; si rarus sanguinis aut per nares, aut per uterum, aut per haemorroidas fluor, a morte non vindicaverint pestilentes; si & abundans, & frequens idem sanguinis fluxus, sive de sauciata per lanceolam vena, sive de quocumque alio excretorio loco, exitio pestiferos eripuerit; nemo, opinor, hanc meam conclusionem inique feret, statuentem Pestem morbum esse, in quo vel Rarefactio, vel Moles, Plethoricos humores efficiens, debilitatem veram non faciat, sed simulet: adeoque sanguinis missionem quamcumque, sed abundantem, sed frequentem, sed usque in notabilem morbi emendationem iteratam, palmarium esse pestis praesidium.

Hanc porro conclusionem solam, & minime illi contrariam, posse me, debereque conficere, ex testimoniis omnium Autorum, haud secus Phlebotomiae osorum, quam patronorum, quos asteo numerose operoseque laudavi, facile quisque per se perspicit. Missi quippe, cui divina clementia non contingit unquam terribile id Caeli flagellum propius intueri, tacendum fuit in hoc Opusculo: eorum vero unice loqui fuit, qui calamitosis

istis interfuissent temporibus; qui pestiferis adstitissent; qui pestem in pelle propria efflorescentem, propriaque viscera urentem, experti essent; qui eandem luminibus ipsis suis contemplati essent, auribus hausissent, tolerare in se suisque debuissent; denique qui fideli calamo, sinceraque mente, hæc & chartis mandassent, & seris dicassent, consecrassentque, nepotibus.

Absoluturus hoc caput, auguror fore, ut brevi omnes Medici laudatas hucusque sanguinis evacuationes in peste admissuri facile, suoque comprobaturi calculo sint, si Bibliothecam Medicam de Variolis, & Morbillis sic consuluerint, ut eandem ego de Peste consului. Nonne enim ab omni ævo eadem argumenta Viri spectatissimi protulerint, ut ostenderent Phlebotomiam in Variolis, Morbillisque, periculi plenissimam esse? An ulla Medicorum sententia, aut graviore autoritate proposita, aut religiosiore observantia culta fuit? Ii vero, qui excutere jam ceperant scholarum pulverem, quam titubanter processerunt, quam meticulose, quam sæpe retrograde! Bonus *Diemerbroeckius* in sua Variolarum ac Morbillorum Historia, Venæ sectionem tandem concedens, ab illa primum pueros excludit, neque eam admittit in Adultis, nisi hi & plethorici fuerint, & nulla experti papularum rudimenta. Cum itaque horum morborum per bonam Phlebotomiam cura longe tutior, salubriorque, reddita sit, exantlatis a præclaro *Sydenhamo*, ingentique *Boerhaavio*, laboribus; cumque variolarum Inoculatoribus ipsis Artis nostræ hac in parte perfectionem longe majorem debeamus; cum tandem meliora certioraque cum edocti, tum experti, scholæ antiqua argumenta contra Phlebotomiam in Variolis haud minus inepta, quam perniciosa esse deprehenderimus; vix video, cur ratione, experientiaque celeberrimorum Medicorum, qui sanguinis missioni in Peste patrocinati sunt, ejusdem in Peste & parem, & majorem necessitatem demonstrari, tandem omnes non agnoscamus.

SE-

SECTIONIS II.

CAPUT OCTAVUM.

De Hidragoga Methodo.

§. I. *Methodus damnanda, tam rationis pondere, quam eodem argumento, quod olim in laudem Phlebotomiæ prolatum est: testimoniis enim litigantis utriusque partis, collatis, constat prolectis in Peste sudoribus, longe maximum infectorum periisse; methodo autem antiphlogistica servatum esse longe maximum numerum. In* Sydenhami *altera methodo tamen non rejicitur. Hæc altera* Sydenhami *methodus ante ipsum multis jam probata fuerat.* Hecqueti *de opio in Peste sententia non est verisimilis.*

§. II. *De Purgante & Emetico in Peste hic agere necesse non esse ostenditur: sed Lectorum attentio excitatur in Problema positum a* Cl. Mortono *de utilitate Corticis Peruviani Pestiferis exhibiti.*

§. I. NON multis hic opus est, sanguinis missionis & abundantioris & crebrioris utilitate necessitateque demonstratis. Si tamen quis, aut ea, qua *Sydenhamus*, forte coactus, aut arbitrio suo motus, hidroticam methodum explorandam censeat, is convictus hinc damni ineptitudinisque consuetæ methodi, illinc certus de *Sydenhamianæ* præstantia, unice hanc revocare ad incudem potest. In hac vero opera quærendum foret, sitne absolutæ necessitatis calidis aromaticis pellere sudores? Cum enim *Sydenham* hisce sudores pellens, pro temporum more, id quod calore hæc

medicamenta peccarent, cum Phlebotomia, tum refrigerantium potuum copia, correxerit, sicque profuerit; merito, annon præstaret methodo, quam supra laudavimus, *Panormitana*, sudorem elicere? Si Cl. Viro *Fornès* fides, etiam multorum *Turcarum* hic mos est.

Confirmare hoc videtur *Diemerbroeckii* Historia XLII. cum ipsius adnotatione. Copiosum Acetum, sive cum Theriaca, sive sine ea, sed cum sale marino mistum, sive etiam purum, *multos*, ait, eorum exitio eripuisse, quos emere pretiosiora vetabat egestas; pari modo quo *Sydenhamus* explicabat, cur a pessimis Variolis tam pauci divitum servarentur, pauperumque tam pauci perirent? In mea Juventute gens *Batava*, necdum oblita pestis, semper religiose, auroque contra carius, servabat acetum optimum, cui flores Calendulæ essent infusi, in proximum invadentis pestilentiæ, sudore expellendæ, præsidium. Et veteris scholæ adeo tenax *Mindererus*, candide tamen asseruit, si oleo Vitrioli destitueretur, quî pestilentiam curaret, ignorare se prorsum.

Prætulit equidem calidas dictas officinarum confectiones, post multos alios Scriptores, *Cl. Hecquet*, idque contenti in iisdem Opii gratia, veluti & averruncantis pestem, & curantis. Merito clari in arte Viri generaliorem hanc sententiam restrinxere. Et ut unicum modo argumentum proferam, quid evidentius hanc sententiam infirmat, quam *Thracum*, gentis opium copiosissimum continuo vorantis, Pestilentia præ cunctis mortalibus frequentissima, annuaque? Si quis autem pestis hujus perpetuitatem in gentis socordiam, incuriamque, ne propagetur, referendam esse autumet, huic respondeo primo, si opio tanta, quam perhibent, inesset prophylactica virtus, utique perpetua ejusdem ingluvies tutos a peste *Turcas*, securosque præstaret. *Secundo*, Turcas damnamus tam desides in peste, tam sinistros revelatæ divinæ Providentiæ interpretes; at

vero

vero illam horum desidiam haud ita pro causa propagantis se pestis, agnoscimus, quin una eosdem non curantia sua progressum pestis, certo quodam modo, plus sistere, quam sæpe nos nostris sive præcocibus, sive præposteris curis, arbitramur. Legite *Ambr. Paræum*, inspicite *Chenottum*, revolvite præcipue fidelem cunctorum fere qui de peste scripserint, Autorum collectorem, *Muratorium*; excutientur vobis lacrymæ, eas & miserias, & calamitates, & planctus, pestisque attendentibus progressiones, quas bona intentione conditæ Leges, imprudenti, ac immoderata executione, genuerunt: terroresque inde ortos, metusque ingentes; quos omnium scriptorum experientia, pestis cum fautores deprehendit, tum promotores: præterea inhumanos ægrorum neglectus, inauditam, qua tractentur barbariem, arbitrarias pestis, quæ sæpius non adest, suspiciones; inediam denique, & famem, quæ vulgo pestis seu verum, seu falsum rumorem, a tergo insequuntur. Annon gravissimis his incommodis exemtus *Thracus* est? Nonne ea fruitur animi corporisque tranquillitate, ea cum familiæ, tum necessariorum suorum auxilia, ea rerum requisitarum abundantia, ut plurimam partem ærumnarum ignoret, quæ & in Peste, & præter pestem ipsam, politiores *Europæ* nationes plectere solent? Utinam demum inter confusam, importunamque sollicitudinem, & Turcarum desidiam, medium inveniretur, quod tenerent beati! Utinam discerent eo modo reptabundæ luis cognoscere sistereque progressum, ut luctuosas populorum calamitates non augerent luctuosioribus! Publicæ salutis cura, haud secus christiana charitate, quam zelo illuminato animata, hanc exoptatam viam & inveniet, & capesset.

Hanc animadversionem nobis extorserat *Hecqueti*, de opii specifica in peste virtute, opinio: *Hecqueti* ajo, viri ceteroqui nonnisi reverentia nominandi, Religionis, Virtutisque, haud secus quam Medicinæ scientia,

cultuque, clari: quem licet, invitum forte, fervor disceptationis hinc inde a vero pauxillum abduxerit, pulcra tamen, quæ pari candore, ac sapientia, reliquit posteritati, merito æternitati consecrabunt: eumque ipsum cui ratione opii in historia pestis consentire non debui, ad confirmandam meam mox prolatam animadversionem laudare debeo, ut qui anno 1722., Tractatu *Parisiis* editio, detrimenta salutis publicæ, periculaque, vivis coloribus depinxerit, quæ, in peste, *violenta*, seu *coacta*, gignant perpetuentque *Hospitalia*.

Ut autem e diverticulo in viam; cum sudatoria remedia ea, quæ communi more multos & excitant, & ingeminant sudores, minime prohibuisse constiterit, ne pestilentiosorum potior pars succumberet fato; quid caussæ, quod a tot retro sæculis, in nostros usque dies, obtinuerit in Medicina principatum?

Causa hæc ab ea famosa Scholarum opinione petenda videtur, quæ a Centro ad Peripheriam (ut loqui amabant) movendos humores esse iis volebat in morbis, qui vitale robur fere suffocantes, vario aut Phymatum, aut Exanthematum genere, cutem deturparent: unde in Peste, in quolibet Exanthematum genere, Petechiarum, Miliarium, Scarlatinorum, Morbillorum, Variolarumque, methodo hidrotica nihil solennius fuit: sic ut eadem instituta, & omnes crederetur mortis e faucibus eripuisse, quos reliquos fecisset pestis; & cuncta ea in mortuorum frequentia præstitisse, quæ salutem, si sperabilis fuisset, restituissent.

At vero quam vana hæc opinio sit, quam levis, quam detrimentosa mortalibus, quemadmodum ex prioribus constitit, sic & confirmatur ejusdem condemnatio laudatissima præstantissimorum Virorum praxi, qui *Sydenhami* ac *Boerhaavi* vestigia prementes, sanguinis missionem, eamque cum largam, tum repetitam, instituunt, quando Exanthemata quæcumque morbi conjunctam non habent remissionem: quique eadem sua me-

methodo antiphlogistica, alimenti, medicamenti, atmosphæræ virtute, adhibita, ne Petechiæ, neve Miliares eruptiones superveniant acutis, præpediunt; quemadmodum clarorum horum virorum & doctrina imbutus, & animatus exemplo, a tot retro annis haud docui duntaxat, sed demonstravi. Confirmavit hoc Responsio Academiæ Regiæ *Suecicæ* data, ad Quæstionem ab illa Academia anno 1769. proposita, & præmio ab illa decorata, *Quo pacto* scilicet *omne Miliarium genus tam in puerperis, quam in cœteris hominibus, & præveniri possit, & curari*. Ex lingua *Suecica* in Gallicam translata hæc Responsio est, editaque *Leydæ* 1770.

§. II. Purgationis & Vomitorii non memini hucusque, neque illis Lectorem morari mens est; cum Medicorum plurimorum scriptis merito condemnentur nisi excipias alteram *Sydenhami* methodum. Attentionem autem summam *R. Mortoni* observatio meretur, quam in *Appendice Libri de Proteiformi Febris continentis genio pag.* 160. communicat. „ Quotquot enim „ ex peste evaserunt, utpote mitiore veneno infecti, „ vel robore spirituum vegetiore prædıti, quamprimum Naturæ suæ sponte, vel artis adminiculis, Bubones, Parotides, Carcinomata, maturescientia, „ vel quævis alia Victoriæ monumenta, seu Trophæa, „ de hoste constituere ceperint, singulis, vel alternis diebus, in seipsis percipiebant symptomatum Exacerbationes, & Remissiones, statis horis alternatim sese excipientes. Unde minime temeritatis incusandam esse censeo *Facult. Med. Neapolitanam*, „ quæ referente *Cl. Bado Anastas. Libr. I. cap.* 20. „ etiam Corticem Peruvianum in Pestis curatione adhibendum jussit. Siquidem ad hoc ipsum venenum, „ quoties mitius esse contigerit, delendum, & deinceps „ ad curationem accelerandam, plurimum conferre queat. „ Legendus omnino *Viri exp. Chenot. de Peste li-*

liber v. pag. 142. *ad.* 146. Inchoata ab illo quædam experimenta, quæ perficere temporum iniquitas vetuit, spem hujus remedii in Peste satis cum mature, tum copiose, adhibiti, non mediocrem faciunt. Egregie igitur pro more *Hecquet App. de Peste cap.* 77. „ „ At qui turbationum sanguinis, aut febris exacerba- „ tionum, *Sedativum* singulariter præsidium, confes- „ sum omnibus, compertumque habetur *Cortex Peru-* „ *vianus*, cujus energia in Variolosis febribus *Syden-* „ *hamo* nota fuit, *Mortonoque* comprobata; quin „ imo cujus potentiam adversus Malignas febres exper- „ tus apud *Italos* Medicus nobilis (*Torti*) illam ope- „ re singulari, singulariterque bono, evulgavit: unde „ mirari subit quo malo artis, & ægrotantium fato, „ oblivioni relictus fuerit bonorum tam dives fundus, „ ad felices curationum exitus, sub illa pestis ferita- „ te, (*Massiliæ*) quæ eruditissimos hodie lusit me- „ dentium conatus, præsentissimaque temsit remedia. „ Anne discriminis plus ab illo medicamine impende- „ bat, jam præclaro felici suo curationum exitu, quam „ ab emeticorum, purgantiumque furiis, sudorifero- „ rumque incendiis, quibus tandem ultimum *Vale* di- „ cendum fuit?



SE-

SECTIONIS II.

CAPUT NONUM.

Variæ Quæstiones & Opiniones circa Pestem Recensens & Examinans.

§. I. *An Pestis immediatum Dei flagellum? An in* Africa, *ac præprimis in* Ægypto, *ejus Natales? Num citra contagium affici Peste homo possit? Ipseque homo vera Peste laborans, an alios semper inficiat? An nasci possit a Brutorum Peste ea hominum? Numquid a solo metu; & quidem sic, ut non feriat impavidos? Tandem an a sordibus urbium, ædiumque?*

§. I. DE vera origine Pestis inquirentes Scriptores, haud minus Theologi, & Politici, quam Medici I. quidem immediatum DEI, vindicis malorum, flagellum esse, ex Historia *Davidis*, ex *Deuteronomio*, nonnulisque *Prophetarum* textibus, plures conficiunt. Hancque & Ethnicorum sententiam fuisse Liber 1. Iliad. *Homeri* docet. Fatemur OMNIPOTENTEM & comminatum populo prævaricanti pestem esse, & immediate illam immisisse; nondum id tamen evincit a DEO *immediate* immissas pestes tot sæculorum universas esse. Uti Pestem, ita Famem, Bellumque atrox, inque prælio Fugam, Exilium, & alia, ingratæ, ac rebelli genti Israeliticæ, & comminatus DEUS, & executus est; communes tamen, & naturales horum causas intercurrisse, intelligimus, quæ id, quod DEUS vellet, efficerent; Annonæ caritatem apud vicinos populos, a quibus id frumenti, quod sibi

bi deesset, acquirere solebant, infelicioribus temporibus, & id genus pluribus consimilibus; Principum idololatrarum peculiare in Judæos odium, mentem arrogantem, bellicosamque: quibus causis positis, id, quod interminatus Dominus erat, consequebatur; quod Homerus in *Græcorum* peste pulcre expressit Διὸς δ' ἐτελείετο βουλή.

II. In *Africa* quidem plurimi, hi autem in ejus magis Occidente plaga, illi in *Ægypto*, terræ luis originem quærunt, quam commercii occasione in viciniores, hincque in dissitiores gentes, advectam arbitrantur. Judæorum cum *Africa*, ac potissimum cum *Ægypto*, quod vetitum tamen a DEO, commercium, multarumque *Europæ* pestilentiarum Historia hujus sententiæ probabilitatem admittunt, verum haud omne dubium tollunt, ut sequentia docebunt. Ac tandem quid causæ dabunt, cur in illis primigeniis locis & nata primum, & perennis sit?

III. Ex laudatis prius scriptoribus haud plane singularis eorum opinio est, qui ejusmodi corruptionem in humano corpore nasci sponte posse autument, ut citra vel minimum cum pestiferis sive hominibus, sive rebus commercium, pestis oriatur: *Diemerbroeckius*, Priscorumque nonnulli, exempla narrant, quæ haud omnino improbabilem hanc sententiam reddant: neque sic nata alios infecisse videtur.

IV. Quamquam centies observatum sit Animalis cujusquam Pestilentiam ejusmodi naturæ esse, ut in cæterorum Animalium nulla contagium transeat, inque hominem nullam; quia tamen nonnullæ pestes certæ cujusdam bestiæ sint, quæ ab hac in bestias alius atque alius speciei, alias post alias, transmigrant, pariter etiam pestilitatem quorundam animalium in hominem & transire posse, & revera transiisse, cum aliæ ejus causæ non extarent, multi opinati sunt, deque Pe-

ſe Brutorum, eam Hominum augurati. Incertam tamen hanc eorum ſententiam eſſe pag. 138. N. 1. poſt multos claros Viros cenſui.

V. Quamvis abſurda appareat, haud plane tamen ſolitaria ea ſententia eſt, quæ ita peſtem ſtatuat metu ſui naſci, ut homo, excuſſo plane eo, Peſti impenetrabilis foret. Antiquorum quorundam hanc ſententiam reſuſcitavit *Chriſtianus Langius*, *Rivinum* laudans, ut qui ante ſe hanc eſſet ſententiam tutus.

Notemus opinionis *Langii* de *Cauſa proxima* peſtis a communi ſententia receſſum: cauſam enim proximam neque ab aëre peſtifero, neque a contagio, quacumque via contracto, verum, quod mireris, a *ſolo terrore peſtis* oriri arbitratur.

Carens *Rivini de Peſte Lipſienſi* anni 1680. opera, inveni tamen ejuſdem Epitomen in *Act. Lips.* anno primo, ſcilicet 1682. Neque *Rivinus* hujus ſententiæ ſe eſſe parentem gloriatur, ſed eandem & *G. C. de Heredia*, in peſte *Hiſpalenſi*; & *Petri a Caſtro*, in peſte *Neapolitana*, *Romana*, *Genuenſique*; & *Joannis Imperialis* in peſte anni 1630. & *Gresleri* in peſte *Brunswicenſi*, tandem & *Hodgeſi* in *Londinenſi*, fuiſſe. Sed his omnibus antiquiorem ſcriptorem invenio, *Petrum Joannem Fabre*, ſeu *Fabrum*; qui in ſua Pathologia ſpargyrica non omnem quidem, ſed aliquam peſtem, mero terrori abſque vel minima alia, ſeu aëris, ſeu contagionis admota cauſa, ſuos cenſet debere natales. Scribit in hoc opere Autor ſe longum amplumque tractatum de Peſte anno 1628. edidiſſe, quem apud *Lindanum*, tot viri opera recenſentem, non magis quam ipſam hanc *ſpag. Pathologiam*, invenio: hanc poſſideo, non illam.

Gallicus Archiater *Chiconeau*, aliique cum illo, occaſione Peſtis *Maſſilienſis* hujus quoque opinionis fuerunt: quos refellere cl. *Hiſpanus* Medicus *Fornès*, ac potiſſimum Rev. *Muratorius*, conati ſunt. Ut vero pau-

ca

ca hisce addam; cur toties contingit eadem affici vel intrepidissimos, seu Medicos Chirurgosque, seu Sacerdotes, seu Assistentes, qui centenis casibus impune emersi, demum, quemadmodum tot Historiæ fidem faciunt, sic a peste mulctentur, ut ea vel gravissime decumbant, vel pereant? Quis Sapientium, cum *Langio*, infanti, recens nato, veram dabit a Peste formidinem? Peste afficitur tamen, interitque. Sagax ille Medicus & intrepidus & audacissimus, ut Pesti ipsi dominari videretur, apud *Willisium Lib. de febr. cap.* 13. *pag.* 69. annon Peste demum periit ipse? Notabilis Historia XXXVII. *Diemerbroeckii* est, &, quæ huc afferatur, digna: „ Eques notissimus *Schabbals*, homo fortis, „ audax & maxime temerarius, peste cum magna fe„ bre ac debilitate correptus, Bubonum in inguine & „ tres Anthraces in corpore habuit. A quibus omni„ bus malis cum optimi summi DEI auxilio sanatus „ esset, & jam rursus foras prodiret, nullas DEO gra„ tias egit, sed satis impie gloriatus fuit, se ipsa pe„ ste nequiorem, fortiorem esse, atque nec Pestis, nec „ Diaboli spicula ipsum quidquam afficere posse; imo „ se neque Pestem neque Diabolum curare. Audivit „ Altissimus impia impiissimi hominis verba. Quid fit? „ Postquam cum reliquis equitibus hostilia castra ali„ quoties explorasset, (nam famosissimus erat Con„ ductor, quem vulgo *Guide*, alii *Gidse*, appellant:) „ tandem circiter quinta post perfectam sanationem heb„ domade, rursus de novo peste correptus est, & an„ te diem sextum victrici pesti duram subjecit cer„ vicem.

Nihil minus peste metuebat Pharmacopæus, Hist. LXXII. „ qui amuleto arsenicali munitus semper in„ cedebat: pustulam rubram inflammatam, sine dolo„ re, cum levi prurítu in collo percepit, quæ mihi „ aliquid mali ominari visa fuit, ac propterea ad tem„ pestivum Antidotorum usum ipsum exhortabar. Ve-

rum

„ rum ille rem flocci faciebat, & toto corpore opti-
„ me valens, consueta munia peragebat, bene ede-
„ bat, bibebat, ridebat, & hilaris erat, nec quidquam
„ mali suspicabatur, imo etiam me irridebat, quod
„ de periculo aliquo locutus fuissem. In tali statu cir-
„ citer per tres septimanas vixit. Tunc demum capi-
„ tis gravitate, cordis anxietate, nausea, & debilita-
„ te, infestari cepit. Assumto Alexipharmaco, cui præ-
„ ter cætera Lapidis Bezoar orientalis integra dragma
„ admista erat, cum copiosius sudasset, nihil quidem
„ allevatus fuit, sed prædicta pustula in perfectum Car-
„ bunculum transivit. Postridie febris vehementior eva-
„ sit, vires admodum dejectæ sunt, denique morbi vio-
„ lentia omnium Antidotorum vim superante, post tri-
„ duum e vivis excessit.

„ Tandem nemo horum, quos nunc ex *Diemerbroe-*
„ *ckii Hist. LXXVII. & LXIV.* enarrabo, pestem
metuit; ea tamen & impetitus, & mortuus est. „ Pa-
„ ter *Felicianus* Sacerdos, ordinis *Franciscanorum* Mo-
„ nachus, vir doctus, & humanissimus, peste corre-
„ ptus est, cui vix ulla manifesta febris adjuncta erat,
„ ut nec alia gravia symptomatum, præter solam &
„ summam anxietatem, qua cor tanquam in prælo com-
„ primi dicebat. Post sudorem copiosum Alexipharma-
„ co provocatum, duo exiles Carbunculi in femore
„ eruperunt, etiam dolor in inguine perceptus est cum
„ obscuro quodam tumore. Exhibui tria quatuorve
„ sudorifera, & alia quoque antidota intermedio tem-
„ pore dedi, verum his omnibus neque inguinis tumor
„ adauctus, neque anxietas quidquam imminuta est.
„ Interea tamen vires egregie constabant, ac valde
„ parum dejectæ erant. Quarta morbi die cum ipsum
„ inviserem, totus vestitus erat, & circiter horæ qua-
„ drantis spatio mecum per cubiculum deambulavit
„ non titubante gradu, sed fortiter, ac de confiden-
„ tia in DEO, de non extimescenda morte, de maxi-

mo

„ mo & flagrantissimo suo hinc ad salutarem patriam „ migrandi desiderio, multa notatu dignissima loque- „ batur. Postea inter deambulandum monstrabat mihi „ etiam sex septemve Exanthemata purpurea, quæ in „ brachio & pectore eruperant, & rogabat qualesnam „ essent, & quidnam indicarent hæ maculæ? Respon- „ di esse mortis advenientis prænuncias. Quo nuncio „ intellecto, bonus ille Vir non minus gavisus est, „ quam gratissimo aliquo dono accepto, & statim cum „ gaudio in hæc verba erupit: *jam liberabis servum* „ *tuum Domine, & videbunt oculi mei salutare tuum* „ *facie ad faciem. Fiat voluntas tua! Et, sit nomen* „ *tuum benedictum in sæcula!* Tunc ego ipsi in æter- „ num vale dixi, atque discessi. Postea retulerunt mi- „ hi adstantes, qui illi inserviebant, quod statim post „ meum discessum diceret: Sentio me ab ambulatione „ aliquantum delassari; & cum dicto lecti margini se „ imposuisset sedendo, atque illico quasi in momento „ retrorsum supra lectum cadens, expirasset.

Ipse autem *Diemerbroeckius*, qui hic fidem præprimis meretur, quod acatholicus, magni non faceret catholicos Sacerdotes, audiatur in nota ad hanc Historiam. „ Quod in hoc ægro, illud etiam in nonnullis „ aliis animadvertimus; nempe in quibusdam peste la- „ borantibus tantam *corporis fortitudinem* usque ad mor- „ tem fuisse, ut ambulantes, nec quidquam minus, „ quam mortem metuentes, subito conciderint: verum „ in paucissimis tamen animi fortitudinem, tantam in „ morte constantiam, tantum Vitæ æternæ ex intimo „ corde procedens desiderium observavimus, quantum „ in prædicto D. *Feliciano* & Socio ejus *Tiburtio*, „ nec non Patre *Gregorio*, ejusdem quoque ordinis Mo- „ nacho; qui tres summo cum gaudio mortui sunt, „ totumque mortis metum læta spe melioris vitæ omni- „ no extinxisse videbantur. De Patre *Tiburtio* Hist. „ LXIV. jam dixerat eum Virum esse eruditione, hu-

„ ma-

„ manitate, & vitæ probitate, excellentem, cui mor-
„ tem in peſte prædixerit. Quod nuncium æger cum
„ maximo & incredibili gaudio excipiens, intra paucas
„ horas, tanquam ad nuptias iturus, lætus obiit.
Pergit autem ſic in ſua Adn. *Diemerbroekchius*: „
„ Non omnes, qui Vitæ æternæ gaudia prædicant, ad
„ illa feſtinant, ſed extrema neceſſitate ingruente, ple-
„ rique diverticula quærunt, & his, illiſve mediis ex-
„ tremam illam horam differre nituntur. Sic Pater *de*
„ *Bruyn*, Jeſuita doctus, cum peſte correptus eſſet,
„ maximo mortis metu perculſus fuit, & tam altum
„ terrorem concepit, ut exhibita remedia (quæ in
„ nonnullis aliis, ſic affectis, quid fors egiſſent) pla-
„ ne nihil operarentur ad ſalutem: tandem omnibus
„ nihil proficientibus, cum ab exanthematum eruptio-
„ ne mortem ipſi prædicerem, tres quatuorve exiguas
„ pixides de collo pendulas manu prehendens, ac cum
„ indignatione irridens, dicebat: o inania fulcra, in
„ quibus confiſus ſum! Quid jam mihi prodeſtis? Et
„ paulo poſt cum magna deſperatione obiit, immemor
„ verſiculi.

„ *Fer facilis, quod fata ferunt: ſi ferre recuſas,*
„ *Ipſum te crucias, nec minus illa trahent.*

Igitur cum Schola univerſa lubenter admittimus for-
midine a peſte eam & facilius, contrahi, & difficilius
tolerari; minime vero paucorum illorum opinionem,
qui in tanta luce veritatis cæcutire velint, peſtilentiam
metu unice contrahi, intrepiditate autem, fidenteque
animo, evitari ſtatuendo, amplecti poſſumus.

VI. Anglus Scriptor, cui *Ingram* nomen, ante 17.
abhinc elapſos annos de Peſte Tractatum edidit, quo
peſtium, a pluribus retro ſæculis *Anglos* adortarum,
hiſtoriam tradens, Luis hujus natales in *Thracia* &
Afri-

Africa quærit, Vento austro humido ibidem nasci, boreaque extingui censet, & inde contagium, mercimoniis arcte inclusum, in *Angliam* toties illatam esse agnoscit; at vero cum causa tunc temporis existeret, quæ ad pestem contagione advecta contrahendam prædisponeret, eaque causa nunc deficeret, morbum non ultra *Anglos* invasisse, nec facile invadere ultra posse, asseverat audacter. Hocque sic explicat, ut perpetuum esse statuat contagionis afflatum, miasmate in locis, quotannis affectis, adeo intime cum multis mercimoniis compacto, commisto, ac contuso, ut earundem cum retardatio, tum expiatio, quæ per 40. dies fit, inepta prorsum sit, quæ inde totum contagium extricet: ut secundo bene considerandas esse arbitretur urbis *Londinensis* quondam & parvitatem, & sorditiem; ejusdemque post ultimam pestilentiam amplificationem, munditiemque: unde concludit hominum urbiumque majore munditie id consequi oportere, ut licet & ventus australis humidusque sæpius in *Anglia* dominetur, & indelebile contagium ex infectis pestilentia plagis assiduo adsit, pestis tamen a plus quam sæculi spatio ignota *Londinensibus* esse debuerit.

Sorditiem hominum, urbium, ædiumque & in consciscendis sibi morbis, & in perferendis, iniquam posse noxiamque esse, inficias non ibo: at vero hanc esse prædisponentem Pestilentiæ causam præcipuam, ac ferme unicam, minime inde consequi, quis non videat? Rogare licebit Autorem primo An ceteræ *Britannicarum* Insularum, reliquarumque Nationum civitates, pariter & amplificatæ fuerint, & majore munditie cultæ? Hoc demonstrandum fuisset, priusquam hæc conclusio formaretur. *Secundo* annon noverit *Batavorum* eam ab omni tempore munditiei Vestium, Ædium, Platearum, Templorumque culturam, ut hanc immodicam esse conquerantur extranei? Atqui Pestis in illa gente tam

cre-

crebra fuit, ut qui eandem ioi conſcripſerint Medici, bis terve renatam ſua ætate viderint. Ergo mundities non aufert prædiſponentem ad peſtem cauſam.

Atque ita hanc operoſam de Peſte ſectionem abſolvo, DEO TRIUNO conſecro, Patriæ dedico, calamitoſis temporibus ut proſit exopto.

FINIS.

ADDENDA

Pag. 138. *lin.* 21. poſt *ridicula*, adde, *partim incerta*. Plures quæſtiones, de Peſte motas, ſtudio prætereo, quæ vel ad rem proprie nihil faciunt, vel ab earum Curioſis apud Autores laudatos inveniri poterunt, vel ad Jus Canonicum, & ad Theologiam ſpectant: quas partim apud laudatum ſæpe *Muratorium* inquiras, partim apud Juriſprudentiæ Medicæ Scriptores, *Zacchiam*, *Valentinum*, *Alberti*, maxime vero in hujus poſterioris indice operoſiſſimo; in quo nonnulla opera adhuc laudantur, quos non poſſideo.

Pag. 156. *in princ. adde*: quamvis Anginam malignam, atque peſtilentem, deſcripſerit *Lib.* 1. *cap.* 9. *de Sign. & Cauſ. Acut. & Lib.* 1. *Cap.* 9. *de Cur.*

ANTONII DE HAEN

S. C. R. A. MAJESTATIS
CONSILIARII, ET ARCHIATRI,

MEDICINÆ IN HAC ALMA ET ANTIQUISSIMA UNIVERSITATE PROFESSORIS PRIMARII, PLURIUM ERUDIT. SOCIETAT. SOCII

PARS DECIMAQUINTA

RATIONIS MEDENDI

IN NOSOCOMIO PRACTICO

Quod in gratiam, & emolumentum Medicinæ Studiosorum condidit

MARIA THERESIA
AUGUSTISSIMA ROMANORUM
IMPERATRIX
HUNG. BOHEM. &c. REGINA &c. &c.



LUCÆ MDCCLXXVI.

Typis JACOBI JUSTI
SUPERIORUM PERMISSU.

ELENCHUS CAPITUM.

CAPUT I.

Historia auxiliorum, quæ Submersis, Suspensis, Suffocatis, atque Infantibus mortuis, ut videtur, in lucem missis, adhibenda sunt, quousque jam promota per Europam *sit.* Pag. 1.

CAPUT II.

An in Criminalibus *certissima signa extent, quibus instructus Magistratus infallibiliter discernat vivusne quis, an mortuus, in undas præcipitatus sit?* Pag. 12.

CAPITIS II. Sectio prima.

Historia, hujus Disquisitionis origo, argumentorumque, ex eadem formatorum, examen. Pag. 13.

CAPITIS II. Sectio altera.

Sextuplex *Anatome Corporum laqueo Strangula-*

gulatorum, quorum varia phænomena Anatome describit, variumque Experimentorum effectum. Pag. 21.

CAPITIS II. Sectio tertia

Sextuplex *hominum Anatome, quorum, Acutis Chronicisve defunctorum, Pulmones* aqua spumosa *scatuerunt: sexies in Nosocomio, semel in Urbe.* Pag. 31.

CAPITIS II. Sectio quarta

Spuma Pulmonum frequentissima ab aliorum Anatomicorum experientia in iis, qui mersi non fuerint, demonstratur. Pag. 44.

CAPUT III.

De Hydrope vero ipsius Pulmonis. Pag. 49.

CAPUT IV.

De Dæmoniacis. Pag. 60.
Appendix. Pag. 75.

CAPUT I.

DE SUBMERSIS.

§. I. *Cur tertio hanc materiam aggrediatur Autor.*

§. II. *Laus tum* Gallorum, *tum Societatis* Amstelodamensis, Hamburgensisque, *in auxiliando submersis. Numerosa apud illos in Vitam revocatio.*

§. III. *Parca hucusque Austriacæ Plebis laudatio. Ejus Objectiones, ad easque Responsa. Cur alibi multis, hic raris, vita suffocata animetur? Cur in Nosocomio etiam desperatos attingamus? Ut Demersorum res, sic & Suffocatorum, Suspensorumque se habet. Historia memorabilis auxilii submerso admoti, quod principio spem vitæ dedit, turpiter vero deinde neglectum, mortis in causa fuit. Alia Historia vitæ submersi viri eousque refocillatæ, ut sacris muniri ante obitum potuerit.*

§. IV. *Infantum recens natorum vita, ubi suffocata est, mortemque simulat, qua arte revocanda? Argumentum hoc urgetur, luculentoque illustratur exemplo. Vota in* Austriacos.

§. I. QUandoquidem ab aliquot retro annis quæstio *de revocanda submersorum vita* omnes in *Europa* φιλάνθρωπυς inflammavit, mearum esse partium duxi tractare eandem, ipsique adhibere operi manum. Hac de causa *Tomi XIII. Rat. Med.* bonam eidem partem dicavi; elapsoque abinde biennio *Tomi I. Rat. Med. continuata* alteram partem ad elucidandam hanc utilissimam

quæstionem unice impendi, atque commissos meos in priore errores, in posteriore correxi: quo autem mea cum observata, tum experimenta, majorem publici in usum cederent, germanice verti hoc ultimum opus curavi; cujus AUGUSTISSIMA IMPERATRIX, ac REGINA NOSTRA, vera Subditorum suorum Mater, Exemplaria propemodum CCCC. ad Austriæ universæ Chirurgos, & Balneatores, munificentissima sua manu mitti curavit. Cum autem inexhausta sit hæc materies, interquiescendum nunquam est a novis experimentis capiundis, ut priorum corrigamus defectus, luce autem nova illustremus, eandemque insperatis forsitan ditemus inventis. Quid aliæ Nationes ad salutare hoc institutum contulere præmittam.

§. II. *Inclyta Natio Gallica*, ab omni noto tempore in commoda non universi tantummodo Regni, sed & Orbis studiosissima, callidissimaque, egregias Dissertationes prodidit, aptasque his Calamitosis succurrendi proposuit leges. Mirifice obsecundavit illis suprema Potestas. Intentaque in suum officium plebs tota reperitur sic, ut per singulas vasti Regni provincias reportentur de morte Triumphi, utique notiores singulis, quam ut hic recenseantur. Et nuperrime die *Martii* octavo ejus quem vivimus anni, Juvenis; & *Aprilis* tertia die, Vidua, incola Gerontrophii, suam de *Sequana* extracti vitam a vera morte servatam, Militibus debent, qui in excubiis ibidem, & promptum, & perseverans, præsidium tulerunt.

Societas Civium optimorum Amstelodami collecta, quam plane nescio quot laudibus cumulem, quot extollam encomiis, quaque verborum significantia ceteris populis in exemplum feram, propria singulorum liberalitate idoneam pecuniam contulit, ut cuicunque, qui superstitem viræ auram resuscitaverit submerso, seu in ea Belgii fœderati provincia, ubi præmium sponte largitur suprema Potestas, seu in alia, in qua necdum publi-

publica remuneratio est, sex aureorum mercedem grata expendat, ne Calamitosis hucce unquam auxilium desit.

Diariorum, atque Commentariorum hujus societatis percelebris, pluries memini prioribus mei Operis Tomis; jamque quarti Voluminis laudes cano, quod partim ipsius liberali providentia, partim populi vigilantia & promptitudine, denuo homines XXXVII., qui alias certam mortem occubuissent, vivos Respublica lætetur. Profecto mihi, vitam CLIII. mortalibus hoc modo, quatuor aut quinque duntaxat annorum curriculo, conservatam contemplanti, tum & centies ac quadragesies præmium sospitatoribus, quos proba judicum locorum testimonia muniverant, concessum perpendenti, liquido constat jam 840. Aureos Societatem erogasse. Hoc resciens unus, alterque, donum non mediocre voluntarius & ignotus, ad societatem uterque misit. Quid non facit ubi viget, ubi ardet, sincerus proximi amor!

Societas Hamburgensis ad animandas cum Artes tum Inventiones utiles erecta, Historiam octo Submersorum, quorum sex restituta adhibitis præsidiis vita fuerit, cum *Amstelodamensi* communicavit.

§. III. Invitus & mœstus de cara nostra *Austria* quæror. Utinam post AUGUSTISSIMÆ munificentiam, singulis ejusmodi servatoribus 24. florenorum mercedem promittentis, toties, quam alibi, a certo interitu præservarentur Submersi! Abest autem a nobis hoc animi impensum gaudium. Altius irradicatum in Vulgi animis præjudicium est, quam ut cujusquam effectus crederent auxilia fore sua. Et quia serotinum laborem usu cassum lugent, tempestivum recusant.

At vero ultra pergunt. Ut suam obvelent inhumanitatem, contendere audent ridiculum plane hic omne molimen esse, quandoquidem in Nosocomio practico *Viennensi*, in quo hoc opus, si uspiam terrarum, tan-

ta cum diligentia, accuratione, frequentiaque exerceatur, ne unus quidem revocatus fuerit in vitam. Quantamcumque absurditatem habeat, injustitiamque, hæc Assertio vulgi, æquitas, veritas, publici boni amor, atque Civis boni officium, ad respondendum adigunt me, ne ultra vel minimum habeant suæ barbariæ subterfugium.

Ac primo quidem dico, quos ad vitam revocatos publica gentium aliarum testimonia perhibent, hos nec diu in undis substituisse, neque maturo auxilio caruisse. Interea dum Medici atque Chirurgi advocentur, sedula plebs mox in amnem delatis corporibus opem, quam possit, omnem admovet, fricando, agitando, irritando, inspirando, madidas exuendo vestes, focum exstruendo, ope fistulæ tabacariæ aut aërem, aut fumum Tabaci in posteriora injiciendo; ita ut Chirurgi aut Medici supplere ea tantummodo debeant, quibus præstandis vulgus non erat. Nec nota etiam sibi corpora deferunt ad eorum ædes, sed vel in amne locatis, vel in proximas ædes, tuguria, bubilia, stabulave, delatis omne conferunt undique auxilium, unde multoties in plures divisum præmium legimus: *Sic Parisina*, *sic Hamburgica*, *sic Batava* Acta sonant.

Jam ad nostrum nos convertamus Nosocomium. Ad hoc deferuntur Corpora, quæ quot horas, diesve unda texerit, ignoratur; quæ diu in amnem deposita fuere, interea dum per horas ad loci Toparcham eatur redeaturque, ut quid ille de invento Corpore jubeat intelligatur. *Viennam* transferendum si mandet, horæ elabuntur priusquam & currus inventus fuerit, & equi, & auriga, qui horæ, qui miliari, qui miliariorum itinere semiputridum Cadaver in Nosocomium practicum deferant. Imo etsi Urbi propior quis fuerit submersus, neque ad ripam juvatur, neque nisi elapsis aliquot horis infertur in Nosocomium.

Si

Si proinde ad vitam revocari unquam vix quisquam videatur, nisi quem aut aliquot minuta duntaxat, aut horæ quadrantem, quod frequenter; aut semihoram, quod rarius; aut horam, quod rarissime, merserat unda: si præterea in vitam demersi non redeant, nisi quibus, mox a flumine exceptis, auxiliatrix fuerit adhibita manus: si deinde plerisque non nisi plurium horarum labore salus redierit: quo demum pacto velint hi, ut si vel per horas diesve corpora humi jacuerint, antequam deferantur ad nos, aut ne minimo quidem auxilio, aut seriore tantummodo, exiguoque præstito; vel si primo tentamine frustrato, omnis abjecta spes, omnisque projectus labor fuerit; quo, inquam, jure ea resucitari in Nosocomio velint? culpa profecto eorum est, quorum fuisset supremis parere mandatis, & educto protinus de flumine corpori, tempore modoque idoneis, afferre præsidia; opus tunc non habuissent, ut *Viennam* conferrent exanime corpus.

At vero navatis interim, inquiunt, strenuam horarum plurium operam; corpora delata itaque exanimia non censetis: vitæ adesse scintillam ni supponeretis, frustraneo parceretis labori. Cum nunc neminem resuscitaveritis hucusque, jure, an injuria, etiam nostra inania conamina fore concludamus?

Non attendunt, qui talia fantur, quid toties olim ad ejusmodi ineptias responderim. Quamvis passim haud alii revocentur in vitam, quam quibus & protinus, & perseveranter, fuerit admota manus; quia tamen ultima restituendi meta necdum demonstrata est, & historiæne, an fabulæ? extant, quæ post horas diesque submersionis auxilia & serotina, & levia, vitam resuscitasse memorant, institutum nosocomii est etiam attingere desperatos; ut num inter centenos forte vel unicus existeret, qui hujusmodi mirandis historiis apponeret sigillum veri, constaret.

Neque etiam attendunt ad plura in noſtris contenta relationibus, quibus convicti eſſe debuiſſent dudum, vitam ad omnem induſtriam hominum reſtitui centam, demum in noſocomio multo cum labore ad ſuum cum augmentum tum ſtabilimentum, feliciter ductam fuiſſe; ut vel hinc inutilem omnem noſtrum laborem fuiſſe injurioſe negent.

Tandem haud attendunt iidem ejuſmodi corpora, tentatis incaſſum auxiliis, alios in fines exenterari a nobis, quærique in illis verum cauſæ mortis intellectum, quo rectius forte opitulari poſſemus Demerſis; peti etiam ex iiſdem quæſtionum Medico-legalium ſolutionem; naturas aliorum morborum, & ſic porro, ut brevi patebit.

Cum jam ſuſpenſorum hominum eadem ſit, quæ demerſorum ratio, in repentino auxilio conferendo; noſque nihilominus iis, eodem modo neglectis, manum admoveamus, etſi vix ſoecula ſuperſit; ſciant hi nos iiſdem de cauſis, quibus ſubmerſorum, etiam ſuſpenſorum corpora attingere.

Redeo itaque ad priora mea monita & conſilia, ut demerſis, ſuſpenſiſque, præceps admoveatur conſtanſque auxilium; eaque nova obſervatione confirmabo.

Auguſti die nono Anni 1772. trium cum dimidio annorum puer, ludens cum ſociis, præceps in *Viennam* labitur ad 5. pomeridianam horam, rapidoque flumine ducentorum circiter paſſuum longitudine vectus, ad quendam inibi palum ſiſtebatur. Monachus reverendus accurrens, eum flumine feſtinanter eripuit, capite humili, pedibuſque ſublimibus, validiſſime ſuccutiit, quatefecit, parentumque curavit in ædes referri. Hi actutum nares, & cordis regionem, calente aceto fricantes, redeuntem percepere & calorem & cordis motum. Porro hæc illi, interea dum Chirurgus expectaretur: accedens tunc ille, turbamque hominum circa puerum occupatam cernens, abivit. Inde hi ſpiritum Meliſſæ,

vi-

vinumque calidum puero in os ingesserunt; excitatam autem vitæ scintillam convulsio extinxit.

Hunc casum non minus inter fortunatos numerandum esse, quam inter infortunatos, intelligit facile quisque per se. Reverendi viri, atque parentum sollicitudine, suffocata vita animari manifesto visa est; mors autem convulsiva imputanda Chirurgo est, qui nec Venam tutudit, nec reliqua auxilia ipsi apprime nota, admovit. Profecto est nunc in tanta luce collata res, ut quisque eum homicidii reum existimare debeat, qui impositæ cunctis legi non pareat. Et bene qui paruerint, consulent sibi. Ex laudatissimo enim Principum, atque Magistratuum, ad hoc opus perficiendum studio, & labore, brevi fore auguror, ut qui huic Religionis humanitatisque officio defuerint, quorumque turba multa est, severe puniantur: & si de ipsis non liceat dicere: *Oderunt peccare boni virtutis amore*, dicatur saltem: *oderunt peccare mali formidine pœnæ*.

Si vigesies, si octuagesies spe frustrarentur; si ex centum duos tresve certo alias morituros, duntaxat servarent, nonne locupletissimam laboris haberent mercedem? imo si vitam eo usque animarent tantum, ut homo tempus nancisceretur se cum Deo reconciliandi, an hoc solum non deberet ineffabili gaudio ipsis esse? Porro ut exemplo id capiant, internectam historiam, quæ cum scripto toto hoc opere demum contigerit, nullibi appositius, quam hic, inserere possum.

Hoc ipso, quem vivimus, anno Julii 4. die, vir atrabiliarius per intervalla sive delirus, sive semimaniacus, semet vespere in profundioris *Viennæ* plagam præcipitat, luctansque cum undis a transeunte homine conspectus, ab illo, aliisque transeuntibus, unco oblongo in ripam trahitur, nulla ultra exhibens vitæ signa. Hominem tamen diligenter palpant, fricant, ac pedibus sublatis puatefaciunt sic, ut libra non minus aquæ vomitum ab eo fuisse testentur. Quo viso eum proti-

nus curant in Nosocomium practicum deferri. In eoque post multa nostra molimina tussis excitata fuit, & alvi copiosus fluor. Continuato autem labore rigoratum ac glaciale corpus primum recalescere cepit, dein sudore leni madere, per intervalla obdormire, voceque eousque privus homo, intelligentiam annuendo abnuendoque testari. Vox demum rediit, impossibilisque fere hactenus Deglutitio: sic ut 17. a Submersione hora alimenta atque medicamenta commode deglutiret. Ad prima quidem molimina nostra, cum vitæ quædam signa adessent, Sacræ Unctionis Sacramento eum muniri curaveramus; ad redditam vero & intelligentiam mentis, & vocem, reliqua sacratissima animi præsidia ipsi conferri omnis nostra sollicitudo fuit Spem tamen integri in vitam reditus vehementissima oborta Peripneumonia elusit, quæ cunctis auxiliis immorigera, hominem ad 38. a submersione horam sustulit.

Transactis 19. a morte horis, Cadaver in pleno cum Medicorum, tum Studiosorum, conventu lustravi. Aperto primum Thorace, Pulmo lævus, lobo superiore purulentum tuberculum recondens, cum Pleura nonnihil; dexter vero totus & cum hacce, & cum Mediastino, Septoque medio, vinculis omnino latis coivit, crassisque iisdem, fortibus, ac vasculosis. Uterque autem superficie anteriore ruber, laterali purpurascens, dorsali tota nigerrimus. Neque in Trachæa, neque in Bronchiis, vel minimum aut spumæ inerat, aut aquæ; Lobi vero in taleolas transcissi plurimum sanguinis, ac nonnihil spumosi liquoris, compressi adhuc copiosius, fuderunt. Aperti cordis ventriculi valido reperiebantur flavoque Polypo repleti, ipsi vero præ Inflammationis intensitate vehementer rubebant, quemadmodum et tota Trachæa, Pulmonalis arteria, Aorta, lateris utriusque Pleura, Pericardium, Pleuræque Diaphragma tam qua musculosum, quam qua tendinosum, succingentis portio, Renesque. Intestina bona; ita ut ter

inje-

injectus Fumus Tabaci nihil prorsum nocuerit illis. Jecur albescens, perque omnia durum. Bilis in vesicula amplissima erat abundans, atra quidem, verum diluta potius, quam, ut ceterum in Atrabiliariis est, spissa, aut, ut ajunt, picea. Primam inter alteramque dextri lateris superioris costam Musculus intercostalis, una cum ea, qua cum superscandentibus musculis connectitur, cellulositate, profundissime per omnem suam carnem inflammatus. Sine externis signis cujusquam contusionis haud modica Pericranii portio rubicunda fuit. Dura Mater bona: Pia solito rubicundior, potissimum vero in posteriore dextri Hemisphærii lobo. In Sinu longitudinali polypus flavus. Ventriculi naturales, Sinusque, Glandula Pinealis ex pluribus indurescentibus corpusculis constabat. Igitur post Libras medicas sanguinis quinque, sex Phlebotomiis homini detractas, tanta adhuc inventa fuit ejusdem in corpore copia, ut universalis propemodum inflammatio conspiceretur in denato; eandemque observationem multa nobis suppeditarunt cadavera.

En denuo Submersi historiam, qua I. constat frictione, corporisque inversi quatefactione, vitæ mortem simulantis scintillas jam ad fluvii amnem emicuisse. II. Hanc vitam nostro excitatam valde fuisse labore. III. Itaque Submersos ad auxilia matura, constantiaque, utut vita penitus extincta esse videatur, resuscitari persæpe posse. IV. Haud raro autem contingere, ut nobiliores in corpore partes tanta sive Inflammatione, sive Convulsione, sive Defectione afficiantur, ut aut Apoplexia, Peripneumoniave, aut Epilepsia, aut Syncope, intereant; quorum singulorum ex variis Autoribus plura exempla *Tomo XIV. Cap. III. pag.* 122. 123. excitavi: sin vero non moriantur, eosdem aliquando in morbos seu acutos, seu lentos, non raro gravissimos, difficulterque curandos, incidere; quorum exempla, loco mox laudato, eaque ex propriis Nosocomii

obser-

observatis, protuli. V. Etiamsi nonnulli illorum, quorum vita videatur resuscitata fuisse, postliminio pereant, nihilo secius & laudandos, & divina Lege imperatos esse revocandæ vitæ latentis conatus: cum quemadmodum ipso eo XIV. Tomo retuli in *Actis N. C.* in iis *Amstelodamensium*, tandemque in hoc postremo viro, eousque vita sæpius per admota Artis præsidia revocata fuerit, ut sincera peccatorum Confessione, eorumdem Absolutione, & Sacra Synaxi, se convenienter parare ad beatam æternitatem potuerint; quo summo beneficio desidibus spectatoribus privati fuissent. VI. Haustam Pulmonibus aquam pro maxima parte resorptam fuisse.

Interim dum de auxilio præstando Submersis sermo fit, ex supremæ Potestatis Decreto, meisque variis scriptis, liquere manifesto singulis arbitror, & ad suspensos idem officium peti, & ad illos, quos aut Vini Cerevisiæque fermentantis exhalatio, aut carbonum vapor, aut clausorum diu puteorum halitus, e vivis videatur sustulisse. Superest unicum tamen, de quo debuissem maturius monere plebem, cujusque eam nunc, defectum meum correcturus, monebo.

§. IV. Infantum recens natorum simulatam mortem volo; quibus si debitam tulerimus opem, vitam profecto non paucis rediisse lætabimur. Cunctorum Obstetricantium libri si fortunatis exemplis abundant, multo magis, si plura auxilia nunc, eaque diuturniora, iisdem admoveantur, abundabunt. Præivit laudabilissimo exemplo egregius in *Palatinatu* Embriulcus, qui nona proxime elapsi *Aprilis* in oppido, aut pago, *Lampertheim*, infantem, quem post uterinam 14. dierum hæmorrhagiam vertendo eduxerat, mortuumque crediderat, quia tamen ex repletis funiculi vasis nondum exsanguem esse concludebat, in vitam plane restituit; tanta quidem cum patientia, atque sedulitate, ut postquam infanti, in tepido balneo vinoso hærenti, suum exspiratum aë-

re

re caute inspirasset, frictuque ventrali artificialem respirationem creasset, primordia demum vitæ, post quadraginta minutorum laborem advertere ceperit, ac integram vitam brevi renatam gavisus sit. Conamina fiunt fateor, vario obstetricum artificio, aërisque inspiratu, sed vel non clausis naribus, aër ore inspiratus, naribus exspiratur; vel post aliquot inspirationes frictionesque frustraneas, cito desperatur. Si *Palatinus Obstetricans* post inanes quadrantis horæ inspiratus, si post mediam horam, si post mediam horam mediumque quadrantem horæ defecisset, mortuum esse infantem & ille, & reliqui, credidissent, mortuusque mansisset infans, quem nunc vivum salutavit laboris constantia. Utinam quæque Obstetrix, plebsque universa, de utilitate hujus experimenti convicta, nullam unquam negligeret ejus faciundi occasionem! Utinam demum non modo in hisce infantibus, sed etiam in Submersis, in Suspensis, inque Suffocatis, quid ab homine singulo, divina, quid politica Lex, quid proximi exigat amor; quamque reum coram divino TRIBUNALI hominem hujus neglectus sistat; Omnes verbi divini Præcones frequenti urgenteque sermone, tam ex suggestu, quam ostiatim, Parochianis inculcarent! Non est quod dubitemus, quin mota convictaque populi conscientia, cunctis hisce miseris efficacius consuleretur.

Profecto hi si in via deficientem fame hominem offenderent, qua animi commiseratione non convolarent, hanc extinctam pene vitam conservaturi? Quod si quis illorum aptum in penu gerens cibum, porrigere illum deficienti præfracte negaret, quam hujus detestarentur crudelitatem! Quam indignabundi hoc ab illo non extorquerent alimentum? Hocque hominis simulacrum, quamdiu feram animam traheret, propalam diffamarent! Se porro serio respiciant, sitos ad fluminis amnem, dum recens ex eodem educitur Submersus: auxilia præsto habent, quæ si adhibere recusant, æquant profe-

cto,

cto, si non superent, illius qui cibum habebat, & negabat, immanitatem; neque homicidii crimine se minus eo fœdant. *Non pavistis*, inquiebat *B. Cyprianus* divitibus, qui in annonæ caritate non subvenerant indigentibus, *non pavistis: occidistis*. Jure illis dicere possumus: *Non juvistis: occidistis*. Merito in Sacerdotem atque Levitam invehuntur, qui sauciatum in via *Jerichontina* hominem, quantum ipsorum fuit, prætereundo occiderunt; summoque, qui semimortuum curaverit Samaritanum, prosequuntur amore: abesse utique non possunt, quin sese, demersum prætergressos, & inhumano Sacerdoti, & barbaro Levitæ, consimiles esse cum fateantur, tum erubescant.

Monui mox lubenter nos Submersorum, Suspensorumque corpora in Nosocomium admittere, quod, irrito revocandæ vitæ labore, gravium aliarum quæstionum solutionem, morborumque minus cognitorum notitiem, quæramus: ad has ambas nos in sequentibus Capitulis accingemus.



CAPUT II.

An in Criminalibus certissima signa extent, quibus instructus Magistratus infallibiliter discernat, sit ne quis vivus, an mortuus, in flumen præcipitatus.

Regula certo distinguendi ea creditur esse spumæ crassæ, flavæ subinde, atque tenacis, copia major minorve in Animalium repertæ pulmonibus, quæ viva aut ipsa sese, aut alii, præcipitia in undas dederunt. Rejicere hanc regulam cogimur propter experimento-

rum

rum contrariorum evidentiam; quæ cum I. ex eorum Anatome petita sint, qui vivi essent submersi; II. ex eorum Anatome, qui post mortem essent in undam præcipitati; III. ex Anatome hominum, qui quolibet communi Mortalibus morbo vitam cum morte commutarunt; operæ pretium erit hoc caput in totidem sectiones dividere, quæ singulæ singulorum Anatomen tradant.

CAPITIS SECUNDI

SECTIO PRIMA.

§. I. *Laus Tractatus de hac quæstione editi* Lugduni Gallorum. *Causa memorabilis, ob quam editus fuerit.*

§. II. *Assertio autem, hujus Tractatus basis, ostenditur experimentis necdum sufficientibus inniti: Numerosa experimenta nos fallunt, ubi opus numerosissimis est; imo aliquando ne tunc quidem veritatem propalant.* Textus Salomonis *huc facientes. Defectum laudati Tractatus conabitur suis supplere experimentis Autor, ea spe, fore ut defectus utriusque suppleant alii. Cur non contractas hic, sed integras Historias Anatomes dederit Autor?*

§. III. *Exempla deficientis liquidi spumosi in Pulmone Demersorum. Vindiciæ Autorum, qui in Demersorum pulmone hanc aquam negarunt: qua tamen in re peccarunt? An Corporis inversi succussio aquam omnem excutere de Pulmonibus possit? Negatur.*

§. IV. *Juvencula* Lugdunensis *mori a submersione & citra inventam hanc aquam potuit, & simul a spasmo Trabeæ strangulatione.*

§. V.

§. V. *Aqua potest pulmonem non subiisse videri, & revera tamen, indubitatoque, subiisse.*

§. I. Tractatus eruditus, numerosisque experimentis dives, nuper *Lugduni Gallorum* prodiit, cui Titulus: *Experimenta & Observata de mortis in Demersis, nec non comitum symptomatum, causa: instituta coram Deputatis Scholæ Regiæ Lugdunensis, ad Brutorum Medicinam erectæ, Deputatorum eorundem testimonio confirmata, & ab Academia Regia Chir. laudata: Autoribus D. D. Champeaux, & Faissole*. Germanico idiomate an. 1772. *Dantisci* prodiit. Occasionem dedit *Lugdunensis* Puella *Claudina Rouge*, quæ die 25. *Junii* 1767. *hora* 9. *vesp.* Felem suam quæsitura, paternis ædibus exeuns, nunquam redierat. Die 30. Junii *Rhodanus* ad suam ripam, 18. ab urbe *Lugduno* Lapide, submersum corpus deposuit, quod a parentibus necessariisque *Claudinæ*, eo ad rumorem convolantibus, toto habitu, vestibusque, illius esse corpus sine ulla hæsitatione affirmabatur. Judicis loci jussu Chirurgus legalem jubetur facere Anatomen, qui in sua ad judicem relatione sustinuit non submersione, sed violento laqueo, strangulatam *Claudinam*, dein præcipitem datam in *Rhodanum* fuisse, eo quod laquei signum, striam rubescentem circum collum, conspicere sibi visus esset. Corpus dein sepultum fuit.

Lugdunensis Prætor vigilantissimus misit duos celebres urbis Chirurgos, eos scilicet, qui Dissertationem hanc conscripserunt, ut effodi sepulchro cadaver curarent, deque visis repertisque referrent. Hoc fecere 10. Julii. Clari hi Viri, cum putredo totum corpus externum deturpasset, externa quidem mortis violentæ signa, quæ ante 10. dies Chirurgus loci cum testibus se vidisse testatus erat, se nulla quidem deprehendisse declararunt, at vero cum Encephali vasa valde turgida sanguine, & Pulmones citra vel minimum aquæ in

se

se inclusum, indigestamque cœnam in ventriculo reperiissent, censuerunt *Claudinam Rouge* brevi post cœnam violenta morte (& ut postea censuerunt) strangulatione, peremptam, in *Rhodanum* præcipitatam esse. Haud impiger ad hæcce Judex, quandam fœminam, & ancillam, nec non Fratres *Perra* vocatos, stupri suspicione in Carcerem conjecit. Scriptitatum mox adversus nostrorum Chirurgorum sententiam fuit, cum a Jurisconsulto, captivorum patrono, tum etiam ab aliis Medicis & Chirurgis. Acriter nervoseque defendere duo illi viri suam sententiam, atque ad eandem staruminandam sedulitate, patientiaque tanta, experimenta in Canibus vario, ac multiplici artificio cum Submersis, tum Suspensis fecerunt, ut negotium totum se confecisse crediderint, ac citra hæsitationem asseruerint: I. Submersos mori ab aqua inspirata, spumosa facta ex sua cum aëre, & trassudante pulmonum muco, commistione; suaque mole sic aëreum pulmonum spatium universum implente, & extendente, ut transitus sanguinis per eosdem penitus sistatur. II. Deficiente in Demersis hac aquea spuma pulmonis, certo id concludi oportere, quod mortui aliunde, in aquam projecti fuerint. Adeoque *Claudinam*, hac aqua spumosa in pulmone carentem, mortuam fuisse priusquam *Rhodani* incola fieret. III. Suspensorum mortem apoplecticam esse, ut encephali eorundem docuissent infartus; apoplectica autem morte puellam periisse, eo quod & ejusmodi infartum vasorum caput haberet, & quod præterea non illi, sed qui decem antea elapsis diebus Cadaveris inspectionem Judicii retulisset Chirurgus, vestigia laquei circum collum, & linguam ad duos digitos latos extra labia exsertam, deprehendisset. IV. Nunquam suspensos gerere hanc spumosam in pulmonibus aquam. V. Submersos nunquam linguam extra os prolatam habere, nec omnes Suspensos; sed illos solos, quos laqueus infra cartilaginem scutiformem strinxerit.

xerit. VI. Partes corporis, ut brachia, femora, collum, a morte fortiter constrictas, vestigium quidem servare pressionis, haud vero ullum aut excipere, aut relinquere eodem in loco ruborem: hunc impressionis ruborem in *Lugdunensis* Juvenculæ sexta a submersione die adhuc perstitisse, & illatæ per strangulationem mortis testem irrefragabilem esse.

§. II. Si omnia hæc sic se haberent, ut hi, quos veneror, Viri censuerunt, opem multam eamque laudabilem Foro juris contulissent, multaque dubia ictu citus inter Medicos & Jurisconsultos dispulissent. At vero priusquam hæc in leges artis cudantur; (quo enim alio horum Autorum, Censorumque, conamina tendant?) dabo hic experimentorum meorum plura, quæ cum illorum experimentis collata, & sincerissime comparata, forsan hanc illis, quam olim mihi, confessionem extorquebunt, quod conclusio ex experimentorum numero insufficiente petita, propriæ famæ inimica, Arti nostræ noxia, ac Veritati odiosa sit. Insufficientiane dixero quæ numerosa ediderunt, quæ laboriosa repetiverunt, quæ idem perpetuo clamantia notaverunt, experimenta? Nisi, ut in multis aliis difficilioribus negotiis, ita & in hocce, post numerosiora sane experimenta, quam clari hi Viri fecerunt, proprios detexissem errores, ex necdum sat numerosis experimentis natos, monere erroris illos non auderem; jam vero dum de re summi momenti agatur, audeo, debeoque. Autoritate *Plateri*, *Wepferi*, *Walschmidii*, *Beckeri*, *Dethardingii*, *Senaci*, quanta in hac quæstione nomina! evidentia quoque experimentorum, semel in submerso homine, decies ac novies in submersis canibus factorum fretus, audax censui ita carere deglutita aqua ventriculos Submersorum, ut qui ultra id affirmarent, ne audiendi quidem forent. Interim occisorum hunc in finem Canum meorum trigesimus septimus, trigesimus octavus, & omnium maxime quadragesi-

gesimus, atram in qua Submersi fuerant, aquam ventriculo eorundem haustam esse monstrabant. Centena mea forte ad naturam sanguinis, atque urinarum, indagandam experimenta, videbantur mihi ad Conclusionem irrefragabilem pluries duxisse; at vero quotiesne palinodiam canere nova me experimenta compulerunt? sic nobiscum, in Re Physica limitatissimis, comparatum est. *Cunctæ res difficiles, non potest eas homo explicare Sermone*. Eccl. 1. *Vidi afflictionem quam dedit DEUS filiis hominum ut distendantur in ea. Cuncta fecit bona in tempore suo, & mundum tradidit disputationi eorum, ut non inveniat homo opus, quod operatus est DEUS, ab initio usque ad finem*. Cap. III. *Et intellexi quod omnium operum DEI nullam possit homo invenire rationem, eorum quæ fiunt sub sole; & quanto plus laboraverit ad quærendum, tanto minus inveniat. Etiam si dixerit sapiens se nosse, non poterit reperire*. Cap. VIII.

Interim cum Medici, atque Chirurgi, in Operum DEI contemplatione perpetuo versentur, eorundemque cognitionem in usus convertere humanos obligentur, reperiunt se se in eorundem operum perquisitione necessitate inevitabili perpetuo innexos; Philosophiæ autem, ac Medicinæ omnium sæculorum erroribus, jugiter monentur, ne quidquam in humanos usus concludant unquam, nisi experimenta, a centenis centies repetita, idem perpetuo clamitent. Hinc quæ amicorum Gallorum experimentis desunt, meis supplebo, brevi & illorum, & meorum ingentes hinc inde hiatus amici alii explebunt, præproperas delebunt conclusiones, serique demum opus non perficient, sed emendabunt, augebuntque, Nepotes,

In referendis porro meis experimentis Lectorum haud paucis displicebo, cum non ea modo enarraturus sim, quæ directe ad rem pertineant, verum historiam singulorum totam, cum universa anatome, sim traditurus.

rus. Considerent autem hi duplici de causa me ad hoc cogi; primo ut prævertam omnes cavillationes, atque subterfugia, quæ ad plausibilem difficultatum explicationem qualemcunque, conjecturalem plane, atque illegitimam, quæri possent, si integra singulorum historia desideraretur. Secundo, ex varietate phænomenon, quæ nostra experimenta hucusque habent, conabor peculiari capite morbum quempiam, eumque notabilem quidem, atque frequentem, obscuriorem tamen, & multis ignotum, sic illustrare; ut ex incertis certa, quod paradoxon, eruantur. Hinc forent singulæ hoc capite traditæ historiæ magnam partem de integro in altero capite repetendæ; quod cum Lectoribus onerosum atque tediosum foret, malui ad semel traditas in hoc capite enarrationes integras referre, quam easdem in futuram morbi cujusdam elucidationem remittere: quibus interim omnis illa displicet enarratio, legant modo illi, quæ literis italicis exarata, filum historiæ continuatam dabunt.

§. III. Puerum cujus historiam Cap. 1. §. IV. dedi, post consuetos restituendi labores incassum admotos, aperui horis 25. a submersione elapsis. Dura mater omnino naturalis; pia non nihil rubicunda: ventriculi vacui omnes; plexus autem choroidei solito turgidiores. In sinibus lateralibus sanguis admodum paucus. Motu sectionis, & agitationis abdominis, liquidi quid ore profiliit; quale quid etiam in vitæ revocandæ tentamine observatum fuerat, non modo hic, sed in plerisque ejusmodi factis tam in Bruto quam in homine tentaminibus. Colon valde, intestina tenuia leviter, rubicunda. Ab aëre solo valde turgebat ventriculus. *Nec in aspera Arteria primum firmiter constricta, ne quid efflueret, neque in Bronchiis ulla spuma; imo ne perscissi quidem Pulmones, multumque compressi, vel minimum spumosi fudere liquoris.* Vacuus cordis Thalamus uterque. Aorta ad cor vacua. Parum sanguinis in vena

na cava. Ter venæ sectionem inter resuscitandi labores tentantes, vix unicam sanguinis unciam colligere potueramus, postmodum autem ex singula fluxerat corpore agitato apertura, tenuis atro-ruber, nec vel minimum, etsi diutius repositus, concrescens. *Tomo I. Rat. med. cont. part. 2. pag. 67. duobus in canibus aqua submersis; & maxime pag. 128. & 129. in tertio cane, aquam spumosam vix habuit Pulmo.* Inde capimus egregios Viros, aliquos, qui aquam subire pulmonem in Demersis negarunt, in cadavera similia incidisse, quæ huic puero, quæ hisce consimilia fuere brutis. Unde liquet non esse, qui hoc negarint, aut negligentiæ, aut malitiæ, insimulandos; præcipitantiæ tamen taxandos esse, quod ex una alterave Anatome id concluserint, quod pluribus primum experimentis fuisset explorandum.

Quæret forsan aliquis, cum puer hic a Reverendo Monacho pedibus in altum sublatis, ac declivi capite quatefactus, sit an non aqua delabi sic e pulmone potuerit, ut in Anatome is ea orbus apparuerit; & an non propterea hoc exemplum male affertur, ad improbandam sententiam de Submersorum morte, ab aqua pulmones ingressa?

Non putem: primo, Vir Reverendus testatur se non vidisse hac corporis succussione aquam ori naribusque prodiisse. Secundo, Canes non paucos eodem modo succussimus, aquam ipsam ore elabi vidimus, & nihilominus spumosa aqua scatere conspeximus Pulmonem; unde aquam hanc aut gulæ, aut ventriculo, aut utrisque, profluxisse censeo. Tertio aqua spumosa si inversi corporis succussu eliminari potuisset, multo id facilius copiosiusque per nostras pressiones, cum variatas, tum diuturnas, universi Thoracis contigisset. Sed his ipsis compressionibus ore & naribus aliquando spumosum liquidum expressimus, & nihilominus penetratos aqua invenimus pulmones: penitus se insinuasse aquam, &

intimius se commiscuisse cum mucosa, atque tenaci visceris materia, quam ut per hos motus omnes eliminaretur censemus: quod jam dudum observavit eximius *Tyssot* in libro dicto: *Avis au peuple pour sa santé*. Unde quoque in *Lugdunensi tractatu pag.* 244. asseritur „ hoc spumosum liquidum nulli defuisse Submersorum „ pulmoni, sive protinus sive post diuturnam putrefa- „ ctionem animalium, examinaretur: imo ne post diu „ Suspensos quidem humili capite canes, neque in „ pulmonibus Submersorum transcissis diuque aëri ex- „ positis, unquam hanc spumosam aquam defuisse.

§. IV. Exempla igitur adsunt deficientis in Submersorum pulmone spumosæ Lymphæ, qui nihilominus, hac deficiente, submersione sola perierunt. Potuit *Lugdunensis* Juvencula horum e numero fuisse, adeoque sola submersione periisse, periisse autem in aqua non Submersorum, sed Strangulatorum more; spasmus enim, sive terrore, sive undarum frigore natus, glottidemque claudens, funis vice perimere Submersos potest.

§. V. Sed longe mirabiliora vidimus. *Tom. I. Rat. Med. cont. part.* 2. *a pag.* 127. *ad* 129. Spuma aquosa deerat canis nostri XXXVIII. pulmoni, eundem subierat tamen. Copiosa atramenti fœce aqua sordescens, relictis in tota aërea visceris superficie grumis crassis, copiosisque, procul dubio in semimortuo animali absorpta fuit in vasa sanguinea: sic ut perscisso in lamellas pulmone, hujus seri spumosi exprimi nihil omnino potuerit.

Itaque cum ex §. *II. & III.* constet & homines bestiasque submersione perire aliquando, non inventa pulmonis aqua, & aquam subire pulmonem posse, citra ejusdem a morte præsentiam; evidens fit generaliorem debito sententiam de absoluta necessitate aquæ, Submersorum pulmonem replentis, Magistratibus in alias mortis causas inquirendi frustraneum facessere negotium posse.

CA-

CAPITIS SECUNDI.

SECTIO ALTERA

Anatome Corporum laqueo ſtrangulatorum, quorum varia dedit Phænomena Anatome, variumque Experimentorum Effectum.

§. I. *Experimentum primum hominis laqueo ſuſpenſi deinde in aquam præcipitanti, cujus Pulmo nullum liquidum ſpumoſum habuit.*
§. II. *Experimentum alterum quod aquam hanc ſpumoſam præſentem ſiſtit.*
§. III. *Tertium experimentum ſecundo ſimile.*
§. IV. *Ut & experimentum quartum.*
§. V. *In experimento quinto, non facta demerſione Strangulati, aqua ſpumoſa deeſt.*
§. VI. *Sextum ſimile quinto.*
§. VII. *Concluſio ex hiſce experimentis.*
§. VIII. *An per tria laqueo ſuffocatorum experimenta id conficere quis poſſit, quod ſpuma careat Pulmo horum? negatur per experimenta aliorum.*

§. I. PRiore ſectione conſtitit in eorum Pulmone, qui vivi merſi fuerant, aliquando aquam defuiſſe, adeoque limitandam eſſe famoſam, circa quam verſamur, opinionem: hac ſectione alteram ejuſdem opinionis partem, quæ in nullius, poſt mortem in aquam jacti, Pulmone aquam ſpumoſam reperiri poſſe ſtatuat, plurimum limitabit Anatome.

In quodam ſuburbio homo quadragenarius, duro labore victum quæritans, toroſus, taciturnus, jam ob

panaritium domi reſidere coactus, poſtquam hora ſemiprima optime comediſſet, ſapientemque miſcuiſſet cum ancilla ſermonem, elapſis abinde hora, & horæ quadrante, laqueo ſuſpenſus invenitur. Accurrunt ad ancillæ clamorem quotquot in ædibus erant, ſed relinquunt ſuſpenſum. Chirurgi famuli, abſente magiſtro, vocati, ſpectaculum vident, abeuntque. Tandem ad horam pomeridianam quartam vice-judex cum Chirurgis accedens, curat corpus laqueo ſolvi. Inanem fore hi in obrigeſcente jam corpore laborem, quem lex jubet, arbitrati, illud in Noſocomium practicum, ut reſuſcitetur, conferri curant, horis forte quinque a ſuſpenſione elapſis,

Collum veſtigia geſſit pollicem lata loramenti coria[illegible] rigidi, quo ſe deſperabundus ſuſpenderat, & quod [illegible]ſta fibula ad occiput nexerat. Loramentum ſub car[illegible]ine Cricoidea principium compreſſerat Tracheæ. [illegible]rrima erat tota, quam ſtrinxerat, pars colli ante[illegible] pollicem lata. Lingua non exſerta. Os firmiſſi[illegible]clauſum. Valde magna & dura glandula Thymus. [illegible]uamvis hic nihil ſpei ſupereſſe videretur, tamen, ne[illegible]ali quid præter expectationem contingere nonnunquam poſſet, ea quæ tentata a nemine fuerant, tentare apud animum ſtatuimus, & integro trihorio conſuetos noſtros, prioribus Tomis recenſitos, adhibuimus fruſtra conatus. Cadaver per noctem frigida in cavea repoſitum fuit, ſequenti mane in Noſocomium relatum, ibique in paratum ad id Balinei inſtrumentum præcipitatum, ſic, ut bihorio in aqua ſubmergeretur; abſterſum deinde coram ſummi Prætoris Delegatis, diſcipulorumque compluribus, apertum fuit, a capite initio facto.

Utraque Meninx ſanguine infarta, copioſuſque ſanguis inter utramque effuſus, tenuis, niger, idque ubique quidem, potiſſimum autem ad lobum poſteriorem dextrum. Fere vacui Ventriculi cerebri omnes. Vix in

in sinu longitudinali, vix in sinibus occipitalibus, lateralibusque; sanguis fuit.

Neque collapsi Pulmones fuere, neque multum tumidi; colore autem purpurei Peripneumonicorum more. Ligata a principio Trachæa, ne quid effluëret; nihil in ea, nihilque in Pulmone, spumosæ materiæ. Parum utroque in corde sanguinis. Sed hic, & omnis ille, qui ex majoribus vasis collectus; & in Linteaminibus ex Venis tunsis defluus, nec non ille qui ex vena secta fuit in vasa exceptus, vel hilum consistebat, pultem atram tenuemque referens. Intestina omnia ubique purpurea.

Ut Pueri submersi Anatome adversa fuit sententiæ, quam examinamus, defectu spumosæ pulmonem lymphæ, ita hæc suspensi per omnia favet, cum pulmonis siccitate, tum infarti sanguine Encephali.

§. II. Octo ab inde transactis diebus, in alio suburbio se suspendit fœmina crassa, torosa, procera, circiter quadragenaria, maritata, a novem annis separata, eidem haud ita pridem rejuncta. Male habere cœperat. 28. *Oct.* sequenti die pejus. Ex suburbio venit in oppositam urbis plagam ad Chirurgum venam tundenda, domumque cum Marito redux, impransa lectum petiit; vesperascente, die demum exiit, nocte latuit, & rubescente aurora laqueo suspensa inventa est ad VI. horam. Quamdiu perpenderat, incertum. Solvebatur laqueo, sed sine ulla ope relicta est; & Gestatorio in Nosocomium practicum ad horam decimam illata. Attulere & laqueum nobis; Linteamen scilicet longum, quatuor pollices latum, non contortum; non latius tamen quam trium linearum vestigium relinquens; necans autem; licet genibus fere flexis pendere debuisset. Strinxerat collum eo cavo, quod supra cartilaginem scutiformem est. Lingua exerta inter labia prominebat. Molimina nostra consueta adhibituri; licet frustranea crederemus, pro consuetudine fuissemus, nisi fœdatum

cruore corpus delegatos Prætoris expectare suasisset, ut iisdem præsentibus examinaretur an non prius vulnerata, ac dein suspensa fuisset. His demum elapso quadrihorio se sistentibus, constitit omnem illum sanguinem ex pertusa pridie vena profluxisse.

Cadaver tunc, quemadmodum prius, aqua submersi septem minutorum spatio, detersumque cultro subjeci, a capite orsus. Oculi necdum corrugati erant, opacari autem modice cepti. Utraque meninx utcumque rubicundior solito. In frontis interni dextro Cranium asperius fuit, & ossicula duo immersa in D. M. cum eademque concreta, & in P. M. simile ossiculum eadem in plaga inventum. Nulla signa læsionis externa. Ventriculi cerebri superiores nonnihil Lymphæ habuere, vix tertius, nihil quartus. Plexus Choroidei naturales. Modicus admodum in sinibus lateralibus sanguis. Neque aut fractæ colli Vertebræ, aut dislocatæ.

Pulmo lævus membranaceis vinculis fortissimis cum pleura coivit, pluribus atque latis in plagis, pede autem equino suo cum Diaphragmate; dexter autem liber omnino fuit. Ruberrimus uterque, minimeque considens. *Tracheæ principium plane vacuum, album. Lobi Pulmonum agitati nihil detumuere, transcissique in tomos ultra quadraginta, tantum spumosæ, ejusque ex rubro albescentis, atque tenacis Lymphæ, cum sponte, tum compressi, manarunt, ut nunquam abundantius Demersorum aut hominum, aut animalium, pulmones fuderint.*

Colon Intestinum leviter, Ileum multum, Jejunum plurimum inflammatum, imo præ inflammatione nigrum. In hujus jejuni Intestini duobus in locis nidi erant teretium vermium copiosorum, viventiumque. In altero nido materies glutinosa, purpureaque inventa est, in altero copiosior ex flavo alba. Lumbrici & in Colo.

In submersi pueri Cadavere *Cap. II. Sect. I. §. III.* nulla spuma inventa est; in Cadavere viri suspensi

Cap.

Cap. II. Sect. II. §. *I.* quem mortuum bihorio merseramus, nulla aqua Pulmones subierat. In foemina hac ultima, post laquei strangulationem demersa per semiquadrantem horae, tantum spumosi liquidi profluvium prodiit ex Pulmone, ut ex iis, quos vivos unda mersit, nunquam abundantius. Nulla signa hic Apoplecticae, sed vere Peripneumonicae mortis. Ergo cuncta hic gallorum virorum sententiae adversantur.

§. III. Nuncius cujusdam Civitatis, per octiduum in quodam Diversorio *Viennensi* moratus, nunquam nisi ebrius ibidem conspectus, *die* 9. *Febr.* 1773. male se habere dixit, jacuit in Paleario; die sequenti, ad 3. matutinam, Aurigis mercatorios suos currus ad iter accingentibus, se immiscuit, sed elapsa vix media exinde hora, de cujusdam currus mercatorii brachio adeo humili suspensus invenitur, ut digitis pedum humum, genua flexus, contingeret. Deposito Chirurgus venam confestim secuit, & corpus gnaviter fricuit. Cura Judicis allatum corpus est in Nosocomium hora VI.

Venam secuerat Chirurgus, nos illico pariter. Observaveramus in Submersorum Suspensorumque plerisque sanguinem ad factam aperturam pleno jactu prontinus prosilire, mox vero penitus quiescere; idem & hic contigit in altero brachio, inque jugularium utraque: ita ut vix unciam ex omnibus simul sumptis colligere potuerimus, vix dicam sanguinis, potius aquae profunde rubrae, nec eo, nec sequenti die, vel minimum coeuntis. Reliqua auxilia pro more, uti quoque tria larga fortiaque vesicantia, frictis aceto plagis admota sunt, & fervens Cataplasma vesicantibus circumpositum, laboriosequе renovatum.

Quo autem sanguis uberius flueret, magni *Trilleri* exemplo crura in ferventem aquam immitti, alteramque post alteram pedum venam tundi curavi; extra aquam vix tantillum, in fervente vero aqua abundatissime sanguis fluxit. Qui pauculus fuerat vase exceptus, tenuis

tenuis ille, nec concrescens unquam; qui in aquâ, ne minimum quidem grumum formaverat, ubi alias si v. g. ex brachio profluum cruorem in aquam ferventem exceperis, tenax coagulum vides. Interea dum sanguis in ferventem aquam de pedum venis fluebat, prorupis pariter de juguli ac brachii utriusque venis, longeque postmodum; sic ut tandem venæ hæ obligandæ essent. Sex horarum impensa in hoc corpus opera fuit.

Anatome ad 4. pomeridianam, postquam corpus fuisset per horam submersum. Duplici fune suspenderat se homo, funisque eum locum constrinxerat, qui suprà Thyroideam Cartilaginem est, sic ut os hyoidis & linguæ radicem ad vertebras apprimeret, & Epiglottidem Glottidi fortiter admoveret.

Vesicantia septem horarum spatio nihil egerunt. Aperto corpore, attenti notavimus omnem illum, qui tota sectione effluxit, sanguinem non nisi rubellum fuisse, citra cohæsionem vel minimam, liquorem. Meninges ambæ naturales, adstabant tamen, qui pluscule rubere easdem censebant. Medulla transcissa solito pauciora puncta rubra ostendit. Multus liquor in ventriculo superiore dextro, nullus in ceteris.

Cor dextrum fluidi sanguinis tantillum, nihil dextrum habuit. Aorta vacua in Abdomen usque, ejusque in initio principium osseum. Pericardii superficies interna leviter rubuit. *Pulmo sinister & cum universa Pleura, & mutuos inter lobos, concretus; dexter liber omnino. Neuter concidit. Uterque numerosa divisione transcissus, aquam albam spumosam fudit abundantissime: eadem & Trachæa, & Bronchia scatuerunt.*

In abdomine inflammatio, ingens, fere universalis, Intestinorum tenuium, sic tamen ut portiones aut æquales Spithamæ, aut ea longiores, vel nihil, vel pauxillum tantum, inflammatæ essent: occupabatque eadem inflammatio fimbriæ Mesenterii portiones, notabilem Peritonæi partem, omnium autem maxime Pancreas; &

Duo-

Duodenum; penitus enim nigrescebant: nec ab ea ventriculus immunis fuit. Mirabili coli & ventriculi figura tabula potius, quam sermone, explicanda est. Et in ventre & in Thorace viscera valde calebant, hora licet 13. a morte elapsa, & corpore horæ spatio in frigida aqua posito.

In hoc corpore notamus primo in suspenso deesse Apoplexiæ signa, adesse ea Peripneumoniæ. Hoc tamen minus hic urgeo quoad Apoplexiam: facilius enim Encephalon, quam Pulmo, revulsionem pati, a tanto sanguinis, quantum hic contigit, profluvio, potuit. II. Aquam copiosam a mortui hominis Pulmonibus haustam. III. Ingentem & horrendam inflammationem visceribus inhæsisse abdominalibus. IV. Iterum hic, ut in Submersis Suspensisque assolet, sanguinem tenuissimum fuisse. V. A fervida aqua mentitum circulum cruoris observari posse.

§. IV. Homo mediæ, ut videbatur, ætatis, pugnax, caput a quatuor retro septimanis malleo percussus, ex eoque tempore tristis, ac stupidus, *die* 11. *Febr.* 1773. jubebatur a diversorii hospite, cui famulabatur, quidquam quærere in Granario, hora circiter quinta pomeridiana; & cum bihorio retardantem quærunt, invenere suspensum. Nihil auxilii ipsi præstitum est, ad undecimam autem noctis vectus in Nosocomium fuit. Consueta auxilia admota sunt, trihorii spatio. Nullus fere sanguis sive ex Brachiis, sive ex venis fluxit jugularibus, sive ex locatorum in ferventi aqua pedum venis; quique paucus excipi in vasculum potuit, tenuis ille omnis fuit, nec mora coiit. Injecti in gulam liquores descendere in Ventriculum non potuerant.

Die 12. Febr. Cadaver ad 5. pomeridianam submersimus bihorio, & ad 7. aperuimus. Laquei vestigium non supra Cartilaginem scutiformem ut §. II. & III. neque infra Cricoideam, ut §. I. verum ad mediam Cartilaginem scutiformem erat. Ingens omentum. Vix

emi-

eminens infra coſtas jecur. Tenuia inteſtina tota purpuraſcebant: ut & hinc inde Colon & Cæcum. Mira Coli figura curſuſque, fere ut in §. III. Capax valde ventriculus, vario ciborum genere plenus.

Pulmo dexter totus cum Pleura firmiſſime coivit, lævus minime: uterque ruberrimus, jecinoris inſtar, maxime dexter: varii Lobi perſciſſi tranſverſim copioſum ſanguinem, & ſeparatim ſpumoſum ſerum fuderunt, copioſum quidem, ſed minus, quam in proxime priore abundantem: Trachæa autem, ac majora Bronchia, aqua leviter ſpumoſa vere turgebant. Cor utrumque pene vacuum, tantillum aquæ rubellæ in ſe continuit; tenuis rubelluſque liquor, minime conſiſtens ex apertis per univerſum corpus vaſis prodiit. Meninges Cerebri naturales, excepta leviore rubedine ad poſteriora. Paucus admodum, iſque tenuis omnino, in ſinibus lateralibus ſanguis. Sinus longitudinalis vacuus. Ventriculi autem ſuperiores & triplo naturali capacitate ampliores, & aqua pellucida pleni; ſic & tertius; an & quartus, ruptura infortunata inter examinandum contingens, dicere vetat. Læſionis in capite externo nullum veſtigium.

§. V. Matertera die 17. Aprilis privignum 3. annor. ſtrangulaverat. Trihorio jacuit corpus non ſoluto laqueo. Tandem ad nos delatum, conſueto noſtro labore incaſſum agitavimus. Pericranium in ea oſſis bregmatis plaga, quæ frontem reſpicit, ruberrimam plagam habuit, ac ſi vis externa adhibita fuiſſet. Integumenta tamen nihil ſimile oſtendebant. Dura mater leviter, Pia tota vehementer inflammata. Vix Lympha in ventriculis: Plexus choroidei turgidiores, ac hydatici. Pulmo non concidebat ſolo, eoque immani, infartu ſanguineo, nam ſpumoſæ Lymphæ nihil habuit. Cor perfecte vacuum utrumque. Sanguis ſolutus.

§. VI. Homo vultu totoque corporis habitu venuſtiſſimus, ad libellum ſupplicem Aulæ datum repudiatus,

tus, 21. vel 22. Apr. 1773. suspenderat se, nescitur utrum incipiente, an progressa nocte: ad 10. mat. repertus in laqueo erat. Solitus labor irritus pro more fuit. Sanguis solutus, sequenti autem die seri quid supernatabat, quod cochleari exceptum, ac igni impositum, instar albuminis ovi coagulabatur. Rubra ejusdem pars non concrescens, aliquid plus tamen spissitudinis, quam pura aqua habebat. Interea dum pectus spiritu vini calido fricabat noster Chirurgus *Scherer*, advertit pectoris sibilum, ejusdemque alterna pressione ac remissione veluti respirationis motum: hinc quamdiu hic sibilus motusque durabat, perrexit ille, & dein alii, thoracem premere alternatim, donec post adhibitum sine ulla pausa hunc laborem, & motus respirationis, & sibilus cessaret omnis. Cum vinum calens in os injectum videretur sibilum vel ronchum impedire, siphone ex ore id exantlavimus, moxque rediit ronchus. Dein totum scrotum spiritu vini calido continuo fovimus, & lata multa admovimus Vesicantia. Sequente mane hora octava cadaver inflammatione Pericardii, & utriusque Cerebri Meningis, nec non ecchymosi inter utrasque, imo ipsis contusionibus integumentorum, suspicionem dedit hominem voluisse se occidere capitis in parietem allisione, antequam confugeret ad laqueum; vel agitatione violenta in suspendii principio caput ad trabem vel parietem violente allisisse. Laqueus supra Cartilaginem scutiformem strinxit. Pulmones membranaceis Vinculis ubique cum Pleura & Pericardio concreti. Pulmones graves a plurimo sanguine, *sine minimo vel spumæ vel lymphæ*. Cor utrumque vacuum. Omentum ingens. In Ileo ad novem spithamas a valvula coli stercorea materies. Ileum totum purpureum ac fere nigrum a sanguine.

Si his addideris experimentum *Tom. I. Rat. Med. cont. Part. II. pag.* 143, relatum de absentia spumæ aquosæ, flava, aut rubellæ, in suspensi militis pulmone,

ne, habebis ſeptem ſuſpenſos, ſtrangulatoſve, quorum tres, poſt ſuſpenſionem non merſi, quavis caruerint ſpuma pulmonis; unus poſt ſuſpenſionem merſus, eadem quoque vacuus repertus ſit; tres vero eandem haud minore quantitate, quam unquam vivorum demerſorum plerique pulmonibus gerant, gesserint.

Totum quod mihi ex hiſce licet conficere eſt I. ſuſpenſorum pulmones hac ſpuma vacuos reperiri ſæpius. II. Suſpenſi, & poſt Anatomen ſubmerſi hominis Pulmonem etiam ab omni aqua vacuum reperiri, ut in primo hujus ſectionis cadavere apparuit. III. In Suſpenſis, qui ante Anatomen ſubmerguntur, non raro aquam intrare in Pulmonem, quemadmodum tria cadavera docuerunt; niſi forte alia ſubſit hujus ſpumæ cauſa, de qua deinceps: hucuſque enim non debeo niſi ſecundum eruditorum horum virorum principia, atque ſyſtema, ratiocinari, & concludere. IV. Adeoque contra experimenta eſſe, & quod mortuorum pulmonem non ſubeat aqua; & quod ejus in ſubmerſi corporis pulmone vacuitas violentum arguat, atque ante ſubmerſionem illatum mortis genus.

Liceat autem hic rogare, an ſaltem ad trium ſuſpenſorum, qui ſpuma pulmonum caruerunt, experimenta, ſi reliqua de induſtria non feciſſem, contra prudentiæ regulas peccaſſem, ſi ſpumam in ſuſpenſorum non reperiri unquam pulmone concluſiſſem? Omnino, minor eſt enim experimentorum numerus, quam foret ad bene concludendum neceſſarius. Forte meum judicium, vel alii, vel ipſemet, præproperum fuiſſe, argueremus. Quod enim alii obſervarunt, an non idem a me obſervari poterit? Idque non penitus raro? ſi *Bartholinus* deprehenderit, vid. *Bonnetum Med. ſept. Lib. VIII. pag.* 6?0. in ſuſpenſo homine *Fiſtulum pulmonalem ſpuma copioſa impletam*; ſi aliam ſuſpenſi Anatomen referat *Bonnetus*, cujus *Pulmo diſtentus fuerat, implenſque Thoracem totum, hic ſpumoſus atque fungoſus,*

ibi

ibi marmoris inſtar variegatus; ſi alio loco *Bartholinus* dicat: In ſtrangulato inveni pulmones grandes, varie-„ gatos, cæruleos, rubore interſperſo leves & ſpon-„ gioſos, ſanguine ſpumoſo tam plenos, ut non tan-„ tum externæ venæ tumidæ in membrana apparerent, „ ſed in diſſectione cordis demonſtrantem me fere im-„ pedirent „ an non vix condonandæ temeritatis me ſimilia, poſtmodum obſervanda, damnarent? Quod autem ſimilia haud raro obtingant, faciet palam ſectio ſequens.

CAPITIS SECUNDI

SECTIO TERTIA.

Septuplex hominum Anatome, quorum, morbis acutis chroniciſve defunctorum, Pulmones aqua ſpumoſa ſcatuerunt; ſexies in Noſocomio, ſemel in Urbe.

§. I. Hominis Peripneumonia atque Iſchuria mortui *Pulmo habuit ſpumam aquoſam.*

§. II. Studioſi Pleuro-peripneumonia denati *Pulmo eandem quoque habuit.*

§. III. Rev. Sacerdotis Pleuro-peripneumonia denati.

§. IV. *Nec non Pulmo* Ducis militum, *chronico morbo diu afflicti, & aucto demum ſublati.*

§. V. In ſaltandi amatore, Pleure-peripneumonia enecto.

§. VI. *Præterea & in eo hominis* febre ardente denati.

§. VII. *Tandem & in ſimilem morbum paſſo.*

§. VIII.

§. VIII. *Conclusio ex præcedentibus. Præcipitantior Lugdunensium Conclusio, & minus vera pro veris Magistratui refert, homines plane innocuos in carceris, torturæque periculum conjicit, & sæpe inanes eidem Magistratui creat labores.*

§. I. FInis Sectionis II. paradoxon proponebat, imo asserebat, de spumoso liquore abundante in suspensorum pulmone; quo autem minus paradoxon appareat, quædam nova observata enarrabo.

Rude donatus miles, & talis quem *locum tenentem* appellitant, 73. annorum, anno 1773. die 26. Jan. in Nos. pract. susceptus, narrabat se post 24. annos valetudinis integerrimæ, eo petulantiæ cum Commilitonibus pervenisse, ut post evacuata ad ebrietatem pocula, eadem frangeret, dentibus conficeret, ac deglutiret: haud insolita hisce in terris petulantia est; gloriantur de ea etiam nonnulli Nobilium. Quod sibi, ejus protervitatis tironi, dolorem oris, faucīumque; paulatim vero in eadem Magistro, tam parum molestiæ intulit, ut inter socios eminens omnes, par calicum post Compotationem devoraret: semel tamen contigisse, ut procacitatis pœnam crudeli morte luisset, nisi post diuturnam colicam viti fragmenta immisso clystere alvo exturbasset. Contigisse quoque in ultimo *Austriacorum* cum *Thracibus* bello, ut & ter acute decubuerit, & pectus semel vehementer contusus fuerit: ab hac contusione superstitem mansisse Tussim, eamque ad mutatas anni tempestates crebram, cum sputorum tenuium excretione. Multis tandem ab annis Dysuria atque Ischuria periodicis laborasse, cum urina sabulum gerente, crassaque, ac flava.

Die 25. Jan. sputis jam ab aliquot retro diebus plane deficientibus, colico dolore cepit torqueri, febre ac tussi anhela. Purgans antiphlogisticum sumpsit; quo nihil operante; in Nosocomium vespere illatus est.

Con-

Continuum inibi conquestus ventris dolorem est, ventre primum nec duro, nec tumido, sensim vero duriore & tumidiore, idque a sinistro umbilici latere potissimum oblique deorsum. Paucam urinam principio, paucissimam deinde, ultimo calamitatum biduo nullam misit, neque sponte, neque ad inductum Catheterem. Alvus quidem die morbi tertia prodiit atque continuavit; Tussis autem sicca fere, molesta, jugis, insomnia, colica, continuarunt, & immorigera omnibus ægritudo hominum Peripneumonia & Ischuria sustulit die undecimo morbi incipiente.

Jecinoris erat immensa adeo moles, ut ad umbilicum, & ad dextri ossis Ilei cristam pertingeret; & cum anteriore non tantum facie, sed & tota mole omnia ad lumbos usque expleret, causa capiebatur ventriculi intestinorumque mutatæ sedis. Dexter Ren cum suo uretere sanus. Similiter mole ingens, in pelvi suppurans, durus totus, in sua papillari substantia Lapillulos numero septem gerebat, ureter quadruplo non crassior, ut fieri assolet, sed amplior, in via sua media ostendebat lapillum, æque dein amplus ad Vesicam usque. Vesica contracta & indurata sic, ut duas uncias urinæ æger capere posset. Nullus in ea, sed prope glandem in Urethra parvus calculus.

Pulmo dexter multum, sinister integre, firmissimeque, concretus cum Pleura. Cohæsione patienter soluta, Pulmo nec tunc, nec in tomos transcissus, concidit: *effluxit autem seri non nihil spumosi ea abundantia, ut nunquam abundantius ex Demersorum expressserim Pulmonibus*. Aspera arteria dura valde, & superius veluti *Ruischiana* injectione rutilans. Thyroidea glandula pene ossea. Coaluerantque in unum corpus tres priores Annuli cartilaginei. Initia Bronchiorum, unaque circumpositas iisdem glandulas, calcarea replebat materies.

Cor ingens. Aorta triplo craſſior in ſua ſubſtantia, duraque valde. Ejus ſemilunares valvulæ oſſeæ propemodum duritiei. Polypoſa maſſa alba mollis, non commiſta, ſed cohærens cum ſanguine grumoſo, ſoluto, cor arteriaſque explebat,

§. II. Die 7. Febr. 1773. *ſtudioſum Poëſios* 17. ann. ex *Monte aureo* in Noſocomium ſuſcepimus, qui a ſex retro annis, poſt gravem Pectoris morbum, tuſſi, anxietate, ſiniſtri lateris dolore, febre varia, corrhyza, catarrho, frequenter laboraverat, jam vero faucium ac palati leviore inflammatione a ſex abhinc diebus curatus, Pleuro-peripneumonia labore cepit, & altero die morbi ad nos delatus, præter alia auxilia adhibita, ne per novem quidem Venæ ſectiones a vehementia inflammationis liberali potuit, ſic ut principio ſexti diei interiret. Urinæ perpetuo aut jumentoſæ erant, aut craſſum enæorema in globum collectum, gerebant. Sputa & pauca ſemper, & tenuia, & pauco muco ſubinde commiſta.

Exiguum omentum. Immenſum iterum Hepar, figuram plane ſingularem, depreſſamque Inteſtinis ſedem concilians. Copioſa quidem, at minus colorata Bilis. Meſentericæ venæ repletæ ultra morem. Ren dexter bonus: lævus triplo major, durus compactus.

Dexter Pulmo cum Pericardio, tum univerſæ Pleuræ, hic firmius, ibi laxius, concrevit. Uterque anteriore facie naturalis, laterali ruber, dorſali purpureoniger, neque conſidens. *Quacunque in parte perſcindebatur aliquid ſeri Spumoſi albeſcentiſque, profudit.* Cor, vaſa majora, polypi, ut in proxime prioris Thorace; ea differentia, ut poſt novem Venæ ſectiones, quarum ultima craſſiſſimam duriſſimamque cruſtam illico formaverat, ac rubram ejus portionem vix ſciſſilem dederat, tamen concretiones polypoſas, & longe majores durioreſque, Cor, Ventriculi, Sinus, Auriculæ, & Vaſa omnia majora gererent, nec grumoſi ac pur-

purpurei cruoris sibi cohærentis nisi pauculum haberet; imo in capitis sinu longitudinali mere flavus crassusque polypus cum adhærescentibus ramis ex cerebri venis extractis, citra vel minimam rubedinem inveniretur: ita ut a posteriore convincemur eum omnem morbum absolutæ lætalitatis esse, in quo toties educto sanguine inflammatorio, totque diluentibus ac sanguinis tenacitatem solventibus ingestis, plurima sanguinis pars polyposa, adeoque per minima vasa impenetrabilis, pertinaciter manat.

Historiæ huic eandem notam, quam priori adnecto: quamvis enim minorem spumosi seri copiam dederit Pulmo, eam dedit tamen, ut majorem in submersis sive hominibus, sive brutis, aliquando non invenerimus.

§. III. *Rev. Sacerdos* 70. ann. ter meminit se acute ægrotasse, ante elapsos abhinc 10. annos; ab eo vero tempore sibi nihil morbosi accidisse, præterquam frequentes admodum Catarrhos; quos mitigare, ac sæpe pellere penitus, pulvere *Lapidis de Goa*, quem conficere noverat, soleret; maxime quando cum regimine ad sudorem, integro quotannis mense, eo lapide sudabat.

Die 13. Martii catarrho, seu potius Pleuro-peripneumonia, laborare cepit ad noctem, & cum ad Venæ sectiones & adhibita auxilia alia ingravesceret, in Nosocomium practicum suscipi petivit. Medio die tertio in idem illatus est. Inflammatio tanta fuit, ut coriacea sanguinis crusta nunquam densior, rubraque ejusdem portio, nunquam durior fuerit, quam in Venæ sectione quinta. Lateris tamen dolor post hac cessavit. Urinæ paucæ, crebræ, urgentes, paulo coloratiores naturalibus, enæorema gerebant crassum, copiosum, globum formans. Finis diei quinti idem & vitæ fuit.

In cadavere ingens Hernia, dicta *entero oscheo-cele*; omentum enim non inerat, quia & breve nimis, &

cum peritonæo conatum. Celaverat autem hanc, cum duos Medicinæ ſtudioſos, qui duobus cum dimidio annis familiariter eo uſi fuerant, tum mihi; ne autem ramicoſum illum ſuſpicarer, vomitus abſentia, alvuſque obſequioſa, vetabant. Inteſtini cœci ſaccus locabatur ad annulum abdominis, & Ileum, mox ante ſuum in cœcum ingreſſum, in prælongum Scrotum, prolapſum erat ad uſque teſtem, & quidem ſic, ut inteſtinum uſque ad teſtem ab omni cohæſione cum ſacco peritonæi liberum eſſet, ipſe vero ſaccus toto itinere ſuo arctiſſime cum vicinis concretus. Teſtis bonus, non, ut in ſimilibus fit, complanatus. Prolapſi Inteſtini longitudo trium cum quadrante partium ulnæ *Viennenſis* erat. Annulus ita amplus, ut duo digiti intra illum ſe commode movere poſſent. Brachierium non gerebat; an geſſerit quondam ignoramus. Si geſſerit, id abjeciſſe illum arbitror, eo quod per annulum amplum juxta pulvinar brachierii Inteſtinum elabatur facile, & ſic compreſſum doleat. Et quia ex ſacci univerſi cohæſione firmiſſima antiquam fuiſſe Herniam concluſimus, neque tamen Inteſtinum cum ſacco coiviſſe deprehendimus, Rev. Virum frequenter, forte ſingula nocte, Inteſtinum reduxiſſe in ventrem credimus.

Ileum Inteſtinum habebat in latere ſiniſtro ventris appendicem ſeu lateralem ſaccum, eumque cœcum, in quo recondi Nux moſchata poſſet. Colon adeo ſuo in curſu irregulare, ut faceret tredecim flexus.

Hepar mole minus quidem quam in præcedentibus, magnum tamen; & cum Ventriculus ingens eſſet, & a latere lobi jecinoris minoris ſpatium quidem haberet ſeſe expandendi, minime vero expandere ſe ob lobi majoris molem in medio ventre poſſet, inteſtinalem formam affectare debuit a latere Epigaſtrii ſiniſtro, uſque ad Pylorum. Oeſophagus ad duos digitos latos in Abdomen deſcendebat, antequam abiret in Ventriculum. Pylorus anguſtiſſimus, non ſpaſmo, ſed præter-

natu-

naturali membranarum crassitudine. Magni Ventriculi sacci superficies interna vehementi Inflammatione rubebat.

In Thoracis cavo dextro unc. XIII. aquæ rubellæ; unc. VI. in sinistro. Utriusque pulmonis lobus superior cum Pleura arcte coaluit. Pro more iterum hic Pulmones facie anteriore minus, & per insulas duntaxat, multum ad latera, plurimum ad dorsum, inflammati fuerunt.

Aspera arteria perscissa spumam albescentem, eamque copiosam fudit; continuata autem longitudinali sectione, scatebant eadem universa Bronchia. Quod autem notandum, nihil concidentes, imo ponderosi Pulmones, dum in lamellas divisi conjiciebantur in aquam, partim innatabant, partim, cum maxime autem ea dextri Pulmonis, fundum, lapidis instar, petebant. Aqua quippe pulmone gravior, obsidens Pulmonis cellulositatem; sanguis pulmone & aqua gravior, opplens ad crepaturam fere, Arterias; una cum Pulmonis Parenchymate, massam confecerunt, ejusmodi aquæ volumine specifice graviorem. Contenta hæc in pulmonis cellulositate aqua, cum turgentibus sub vitæ finem arteriis venisque premeretur, in cava Bronchia, Tracheamque, transsudasse videtur; quemadmodum in Demersis ex cavis Bronchiis in Pulmonum cellulositatem observatur transire. Sic ut aëreo hoc canali loco puri aëris, nunc crassa ac sebacea materia repleto, pondus Pulmonis adhuc auctius fuerit.

Pericardii tunica exterior inflammata multum, interna aliquantum. In eodem Liquoris unc. j. B.

Cor sinistrum vacuum, fere & dextrum, nisi quod hinc inde grumosi sanguinis quidquam hæreret inter columnas.

Pleura tota utroque in latere inflammatissima.

In Encephalo D. M. vix, P. M. valde inflammata, imo ad posteriores cerebri lobos purpurea. Sub

Arachnoidea opacus liquor esse videbatur, qui hac perrusa limpidus erat. In ventriculis superioribus solita copia seri. Plexus choroidei turgidi, pluribus hydatidibus obsessi. Ventriculus tertius tantillum, quartus nihil liquidi gerebat. Omnia vasa per universum Encephalon, ut Arteria basilaris, Circulus Willisianus, &c. crasso purpureoque sanguine infarta erant.

§. IV. Die 18. Aprilis 1773. invitabar ad Anatomen Viri prænobilis, Militis strenui, septuagenarii, qui a quatuor retro annis multum tussiverat, sputa reddiderat, lævoque in latere dolorem, sæpe ad animi deliquium usque, externa vel levissima pressione in Leipothymiam fere exacerbantem, tum ad motum, & ad calidiora, palpitationes ad præcordia & per omne corpus horribiles toleraverat; quem demum febris ardens, ex justa indignatione orta, intra quatriduum sustulit. Pulmones ambo cum Pleura undique concreti, sinister etiam cum Diaphragmate; & dum sinistri hujus pulmonis concretiones a Pleura solvebantur, loculi cavi inter has concretiones alii ichorem, alii pus referebant. Pulmonis ejusdem lobus superior crassus, at jam gangrænosus; inferior lobus ingens, durus, ponderosus, ita ut portiones nonnullæ aquæ fundum peterent, cum universo fere pericardio firmissime concreverat, parte autem sua non indurata, sed non considente, spumosa lympha copiosa scatebat. In dextri Pulmonis inferiore, medioque lobo, non considente, sanguis plurimus, vix effluens, & siccum fere pulmonem in transscindendo ostendebat; *lobus vero superior non minorem seri spumosi copiam referebat, quam multi referunt Demersorum*. Uncia forte aquæ rubellæ in pericardio. Inflammatum Mediastinum nonnihil erat, Diaphragma valde, pluresque Intestinorum longæque portiones. Abscessus in ipsis Pulmonibus nulli, etsi tot annis tussiisset, sputaque ejecisset. Polypi ut in prioribus cadaveribus. Undenam dolor in sinistro latere,

atque ad minimam pressionem ingens, explicabitur facile ex pressione cordis contra durum accretumque Pulmonem, & a vellicatione omnium inter se concretarum partium.

§. V. Die 27. Aprilis recens elapsi, coram universa Juventute Medica cadaver aperui hominis 28. ann. qui post frequentiores saltationes in Pleuro-peripneumoniam dirissimam incidens, eadem nec decem venæ sectionibus, nec ceteris remediis cedente, septimo die perierat. Oculi corrugati, atque opaci 30. a morte horis, isque, qui Cadaverum esse solet, artuum rigor. Colli pressione ore atque naribus liquor fluxit. Pulmo dexter duobus in locis cum Pleura concretus, intermedia substantia quadam, hic membranosa, ibi ligamentosa non laceranda, sed perscindenda, rubrisque hinc inde vasis ornata. Rubor inflammatorius Pulmonum, ut in præcedentibus. Concretio deinde Pulmonum Pleuræ, Diaphragmatis, Pericardii, ope seri transsudantis supremis prope mortem horis. In cavo dextro Thoracis erant Lymphæ rubellæ unc. III. & media, in sinistro unc. II. & media.

Pulmones transcissi madebant, serumque manabant omni ex parte; pressi autem seri spumosi fuderunt uncias octo.

Aspera Arteria & Bronchia omnia, per totam longitudinem perscissa, detersaque, superius pannum rubrum, inferius purpureum referebant. Cor rubrum valde; Valvularum aliæ rubri, aliæ purpurei coloris. Rubra valde Arteria pulmonalis interna, internaque Aorta, ad Iliacas arterias usque; ibi autem color plane purpureus, non pergens tamen per easdem. Polypi vitalium viscerum, quales priorum cadaverum. Omnis venæ cavæ sanguis, omnisque axillarium vasorum, niger ac dissolutus.

Monstrosum Intestinum colon, sic ablato Peritonæo universum explere videbatur abdomen, ut nihil fere

præter illud replere ventrem cerneretur. Mesenterium solito rubicundius. Præ mole jecinoris ingenti ventriculus eam intestinalem, qualem jam supra notavimus, formam induere debuit.

Polypus venosus in tota longitudine sinus longitudinalis. Pia Mater quidem tota admodum, in sinistro autem Hemisphærio magis, inflammata. Ventriculi vacui.

Ex hac & singulis sectionibus hominum, quos morbus inflammatorius e vivis sustulit, abunde liquet quanta rubri sanguinis copia, post toties iteratas venæ sectiones, nariumque hæmorrhagias, adhuc præsto sit in cadaveribus; quæ longiorem harum sectionis enarrationum non minima causa fuit.

§. VI. Mensis Maii 28. die, hominis cadaver publice in Nosocomio aperui, qui febre ardente correptus, eam præter morem in diem XV. protraxerat: horis a morte 35. elapsis, & frigida in Cavea cadavere per id tempus servato.

Aperto pectore, Pulmonis utriusque inferior lobus membranaceis vinculis cohæsit cum Diaphragmate ac Pleura, magis autem sinister: ceterum inter se mutuo lobi omnes transsudante sero coiverant. Pulmones facie anteriore valde rubicundi, laterali validus, dorsali nigerrimi. *Lobi superiores transscissi compressione serum spumosum fundebant modice, inferiores vero primum sola transscissione illud transsudabant, deinde autem compressi tantam spumosi liquidi copiam fundebant, ut facile libram mediam colligere potuissem, si perrexissem.* In corde & auricula dextris multus erat sanguis polyposus, flavus, cui sanguis solutus ac niger sic cohærebat, ut in sanguine misso rubra insula cum crusta cohæret. Aorta a suo principio, per totam superficiem internam, usque in Iliacas, rubra, in Iliacis adhuc magis: Vena cava pariter, & internum Cor, Pleura modice, Diaphragma vehementer. In utroque pectoris cavo,

vo, & in abdomine, nonnihil Lymphæ rubellæ. Hepar in externa supercie inflammatum; in utraque Ventriculus, vehementissime autem qua parte ingenti lieni incumbebat. Colum tympaniticum, ac figura flexibusque monstrosum. In Ileo ingens Appendiculus, seu Diverticulum. In Encephalo sola forte Pia Mater paulo rubicundior. In fronte & versus suturam coronalem, plaga florenum magna, ruberrima, in Pericranio, adnexaque cellulositate; in fronte externa nihil.

§. VII. Die 22. Junii coram Auditoribus aperui 19. a morte horis cadaver hominis 42. annorum, qui ab elapsis 18. retro annis ex equo in durum obstaculum dextro sui Thoracis latere præceps datus; male quidem postliminio pectore habuerat, suum tamen semper præstiterat domino famulatum; febrim intermittentem, nec non pectoris acutam, semel passus. Pleuro peripneumonia tandem dirissima, quæ ne post undecim quidem venæ sectiones cessit, affectus, interiit octavo morbi die.

Costa tertia dextri lateralis fracta quondam, ligamentosa sic coaluerat substantia, ut quandam æmularetur articulationem. Pulmo eo in latere cohæsit per insulas cum Pleura, Mediastino, Pericardio, Diaphragmate, vinculis latis, robustis, membranaceis partim, partim ligamentosis, vasculosisque. In plagis a concretione liberis inter erosum Pulmonem, Pleuramque, puris crassi copia ea, ut siphone quantum potuissemus id exantlantes, plus libra colligeremus.

Graves, nec concidentes pulmones, non a pure, quo carebant, sed ab infarto sanguine, copiosaque lympha; sic ut medius lobus inferior in aquam injectus, lapidis instar subsideret. Reliquus Pulmo dexter, totusque ruberrimus sinister, *in taleolas numerosas transcissi, sero spumoso manabant, compressi effudere rivatim. Aspera autem Arteria a summo suo per totam longitudinem, divisiones, imaque Bronchia, alba spuma plenissima.*

Aspe-

Aspera eadem arteria leviter inflammata ad suum principium, in medio plus, in bronchiis maxime, ut purpurasceret. Utroque pectoris in latere Pleura, in dextro autem dirius, inflammata. Inflammatum tendinosa sui portione Diaphragma; Ventriculi interna prope Cardiam fere gangrænosa superficies; inflammati etiam valde Renes, de quorum regionis dolore æger vehementer in ultimo morbo conquestus fuerat; urina interim probe secreta semper.

Tympaniticum valdopere Colon intestinum; an inde ponderosum Hepar trusum in altum, ut in dextro latere latis digitis duobus altius, quam in sinistro assurgens, exiguum affecto relinqueret Pulmoni spatium?

§. VIII. Ex his omnibus manifesto constat supervacaneos creari Magistratui labores, ad perquirendos sollicite ficti homicidi reos, & ejusdem Magistratus necessariam veræ internecionis autores indagandi labefactari sollertiam; si Medici atque Chirurgi legali testimonio perhibent aut hominem submersum esse, sine violenta morte prægressa, cujus pulmo aquam spumosam gerat; aut eundem esse truculenta nece peremptum, antequam in aquam præcipitaretur, eo quod lympha ac spumosa ejus pulmo careat. Constitit enim, & eos, quos sola demersio in aqua peremit, omni posse carere lympha Pulmonibus. Constitit illos, qui mortui mergantur, haud raro plenum eadem hoc viscus habere. Constitit his, quos morbis consuetis abstulerit atra dies, Pulmonem etiam tanta hujus spumæ copia sæpe madere, ut non majori Demersorum pulmo madeat. Constitit demum potuisse Pulmonem hausisse aquam, &, homine necdum perfecte mortuo, hanc resorptam intra vasa sanguinea fuisse (vide supra canis nostri XXXVIII. Anatomen) sic ut spumæ nihil toto in Pulmone conspiciatur, in quo tamen intrasset abunde, ut fœces Atramenti docuerunt.

Quæ

Quæ cum ita habeant ſe, quotiesne imponimus Judicibus locorum, eoſque cogimus, ut vel inanes in peremptores inquirendi moleſtias ſubeant, vel neceſſariis forte eoſdem indagandi ſuperſedeant artificiis, ſi, quod omnia hæc experimenta ſubvertunt, ſequamur Syſtema? Si quis ſerio omnia revolvit, quæ hucuſque communicavi experimenta, errorum horum frequentes occaſiones eſſe poſſe, facile per ſe perſpicit: ſi v. g. *Vir* §. I. aut *Juvenis* §. II. aut *Reverendus Vir* §. III. aut *Belli Dux* §. IV. aut *Pleuro peripneumonicus* §. V. aut *Febre ardente mortuos* §. VI. aut tandem Pleuro-peripneumonicus §. VII. peregrinatus, alicubi in Diverſorio ſubita morte extinctus eſſet, loeique Magiſtratus, violentiæ illatæ ſuſpicione, legalem cadaveris inſpectionem exigeret; profecto hoc, quod infirmamus, principio imbuti Medici atque Chirurgi, hominem aqua ſuffocatum, abſterſum lectoque repoſitum eſſe, vel ſponte jurarent; forentque in cauſa, ſaltem ubi frequens adhuc viget Torturæ inſania, ut necis ſuſpecti admoverentur ad Torturam, hique eidem perferendæ impares, ſe inſontes accuſarent, immeritamque ſibi morte conſciſcerent.

Equidem haud is ego ſum, qui egregios hoſce Autores hæc, quæ ſcripſerint, ſcripturos fuiſſe ſuſtineam, ſi unquam in ſimilia, in quæ ego, cadavera incidiſſent; potius crediderim incidiſſe eos in ejuſmodi nunquam; hincque mea obſervata rariora eſſe autumabunt, quæ vix, aut ne vix quidem, in conſueto ordine naturæ faciant exceptionem. Attamen primo in re tanti momenti etiam rariſſimas obſervationes notabilem facere Legis univerſalis exceptionem, primum affero; ſecundo exceptiones has adeo raras haud exiſtere, ſi intra quatuor menſes in ſeptem Cadaverum ſectionibus mihi obtulerint. Ut vero rem in aprico ponam, obſervationem hanc non modo non in rarioribus, ſed in frequentioribus collocandam eſſe, oſtendam; hæcque ſequentis erit ſectionis hujus capitis materies.

CAPI-

CAPITIS SECUNDI

SECTIO QUARTA

Spuma Pulmonum frequentissima Anatomicorum experientia in iis, qui mersi non fuerunt, demonstrata est.

§. Unica *Confirmatio priorum observationem per XIV. Anatomicas Sectiones Cl. Viri* Morgagni, *& per nonnulla aliorum insignium Anatomicorum. Conclusio ex his omnibus.*

§. I. UT hoc probem, Autorem accuratiorem, fideque digniorem, immortali *Morgagno* non novi; unde ab eo, quibus indigeo, petam *Ep. Anat. Med. XXII.* §. 19. *Pulmonis ubique multo sero referti* hominis, qui per quadriennium anhelus respiraverat maxime ad motum corporis. Ep. XXI. §. 33. Pulmo dexter durus compactus ut jecur, sinister vero fudit *aquæ sanguinolentæ, et spumosæ non modicam copiam*, thorace vacuo. Ep. VI. §. 12. *pulmo sinister aëre mediocriter distentus, et, si secares, multum effundens spumosi humoris*. Ep. XIII. §. 3. *Eminentiss. Cardinalis Barbadicus* Antistes *Patavinus*, catarrhis obnoxius, febre dicta catarrh. epid. moritur. *Graves erant ipsi Pulmones, sed a catarrhali materie, quam continebant, multa passim e bronchiis, quacunque incideres, erumpente.* Ep. XXX. §. 2. In homine cancro ventriculi mortuo: *ex omni utriusque Pulmonis incisi parte serum prodibat* Ep. XXXIV. §. 18. Homo ab hernia omenti et intestini non integri, sed parte sui diverticulum qua-

si

ſi facientis, ceterum in ventre aperti, peremptus, habebat Pulmonis partem induratam, *Pulmones autem ubique ferme humore imbutos*. Ep. XXXVI. §. 17. Mulier ante mortem ſubito in magnas anxietates lapſa, multam ſpumoſam & ſanguine tinctam materiem expuit. In Thorace omnia ſana, *niſi quod pulmones rubore ſuffuſi multum, cum ſecarentur, materiam emittebant ejuſmodi, qualem noviſſime mulierem expuiſſe ſcripſimus*. Ep. V. §. 11. In homine ebrio, ſubito mortuo, cujus hiſtoria vitæ non ſcitur, Pulmones graviores, *et ſpumam ſi premeres emittentes*, ſana tamen eorum ſubſtantia. Ep. VII. §. 11. Figulus, potator ſtrenuus, pleuroperipneumonia periit. *Lobus ſuperior ſiniſtri Pulmonis in ſuprema parte ſero turgidus ſpumoſo, ibidemque niger & durus erat, ſed ita durus, ut vetus potius vitium, quam recens, exiſtimares; parte autem reliqua ferme exſuccus, nec multum diſſimilis ſani*. Ep. XXI. §. 29. Ancilla a 3. menſibus minus menſtruans, a capto frigore incidit in morbum prioris ſimilem, ſub finem ex ore effluebat humor aquæ inſtar ſpumoſæ in qua caro recens lota ſit. Die 7. moritur. Excepto ſuperiore ſiniſtri Pulmonis lobo, *reliqui lobi omnes quamvis ſpumoſo humore prorſus diſtenti, naturalem ſubſtantiæ modum ſervabant, ex qua diſſecta is humor prodibat*. Ep. XVIII. §. 30. Vir intemperantis vitæ, poſt magnas in reſpiratione anxietates, et cordis palpitationes, cum œdemate corporis, 40. die moritur. *Pulmones diſſecando variegati, et ſpumoſo humore ſcatentes*, & ibid. §. 34. Lotrix a ſexennio ſpirandi difficultate, quæ aſthmatis convulſivi ſpem habebat, ſæpe in Noſocomium venerat, eodem demum malo inibi moriebatur. Nullus hydrops thoracis. Pulmones non annexi pleuræ, *ſed turgidi ... & referti humore ſpumoſo: at nihil præterea intus extrave, quod morbidum eſſet, oſtenderunt*, Ep. XXI. §. 23. A pleuritide die 4. moritur homo, cujus nulla anamneſis additur.

ditur. *In sinistro latere pulmo ferme sanus, fulvo caeterequin humore imbutus quacumque securemus. Qui vel uberius ex Pulmone prodibat dextro. Hic vero & major & gravior & durior ubique Hepatis substantiam referebat, exceptis quibusdam non exiguis tractibus, in quibus substantia erat albida & quasi ad corruptionem vergens.* Epist. XVI. §. 30. Adolescentuli ultra tres menses difficulter spirantis; *pulmones ichore spumoso, albidoque si manu comprimeres, scatere conspiciebas.*

His igitur summum mihi esse videtur confirmandi omnes eas, quas ad priores sectiones hujus capitis formaveram, conclusiones. Si aquam eorum Pulmo hauriat, quos post fata merserit unda; si magnis anatomicis pulmones hominum laqueo strangulatorum, hac spuma scatuisse visi sint, ut supra constitit; si aqua spumosa scatuerint pulmones hominum septem, intra paucorum mensium spatium, a me post mortem publice examinatorum, quos e medio communes morbi sustulerant; si denique *Morgagni* minimum hoc *decies & quater* notaverit; nihil in posterum aut imprudentius, aut perniciosius, referri magistratui poterit, quam quod praesens haec spuma hominem & submersum in aqua esse, & quidem viventem, certo indicet; quodque, spuma hac absente, homo demersus violenta manu peremptus fuerit, priusquam mergeretur.

Terminaturus hoc caput duo opponi mihi argumenta posse praesentio, quae nunc praevertere, quam postmodum subvertere, malim.

Ac foret forsan prius hoc: cum in prioribus meis operibus similium post communes morbos pulmonum non meminerim, jamque paucorum mensium spatio eosdem septies memorem, insoliti quid in natura rerum obtrudere me mundo velle: imo inhonestius quid forte suspicari ii poterunt, qui spumosam hanc aquam in frequentiore anatome nunquam nisi in iis, qui viventes submersi sunt, deprehenderunt; ac si quid exaggerationis, ne pejus dicam, meus sermo haberet. Re-

Respondeo primo vel ad notas morborum, mortisque causas confirmandas, vel ad novas detegendas, vel denique ad conjecturales examinandas, corpora exenterari, eorumque exerceri anatomen: Intentionem primam alteramque priores nostras sectiones direxisse plerumque; tertiam vero nos in Pulmonum phænomena contemplanda reddidisse attentiores, quo quid de nova *Lugdunensium* sententia censendum foret, caperemus. Hinc crebro contigisse, ut citra interni pulmonis examen olim corpora mitteremus; jam vero quo veritas patescat, nunquam ejusdem visceris internum omittamus examen. Disputationes de valvula Coli ortæ, omnes Anatomicos in accuratiorem ejusdem examen, descriptionemque, excitarunt. Nunquam tam crebra mentio, vitiorumque descriptio, facta glandulæ pinealis est, quam postquam *Renato Cartesio* placuisset figere in eadem animæ sedem. Clarus Anatomicus scripserat se in 2000. quidem cadaveribus vix bis terve inflammatam pleuram advertisse; quod facile admitto dum Anatomici intentio ad longe alia converterit sese: eodem modo post multa lustrata olim cadavera non potui sæpe pleuræ affirmare inflammationem, eandem inadvertenter prætergressus, & aliis conspicuis rebus in corpore contemplandis occupatus. At vero cum *Valsalva* in rem intentus *Morgagnus*, decies & quinquies pleuram vidit inflammatam, & ea quidem in plaga, unico casu excepto, quam occupaverat in vita dolor. Parique ego modo, postquam pleuram & inflammari, & præ vasorum defectu inflammari posse, negatum fuit, in rem nunquam non intentus, & inflammatam hanc membranam, & vasculosam esse, ipso *Morgagno* crebrius meis demonstravi Auditoribus.

Respondeo secundo, non ita me pulmonem prætervidisse, ut non frequenter in illis id, de quo jam sermo fit, animadverterim. Quo pacto alias Tomo XIII. scribere audacter potuissem: *spumosum autem serum ostendi Auditoribus pluries, defunctorum variorum perscindendo*

dendo Pulmonem. Quod ergo sæpius quondam, sed modo generaliore notaveram, id nunc & distinctius, & continentius, notavi.

Alterum quod opponi mihi posset, conclusionis errantis foret accusatio. Ex eo quippe quod pulmo, quos demerseram suspensorum, spumosa lympha abundaret, id esse systema erroneum, quod aquam nunquam in mortuorum pulmones penetrare statueret, decrevi; id quod ex eo minime concludi posse videtur: si enim in non Submersis mihi toties sero spumoso Pulmones scatuisse visi sint, quo tandem jure ego afferam aquam suspensorum, deinde Submersorum, subiisse Pulmones, quæ adesse in iisdem, eo quo in ægris meis modo, dudum potuerit? Vitiosum proinde meum hoc esse argumentum: suspensus homo, ante Anatomen mersus, aquam gessit in Pulmone: ergo ipsa hæc demersionis aqua hujus mortui hominis subintravit Pulmonem. Penitus subvertunt observata mea posteriora, ut arbitrantur, hanc conclusionem.

Respondeo I. *Lugdunenses* nostri amici ex priore sua conclusione alteram, & quidem hanc, formaverant: ergo Demersus omnis, cujus carent Pulmones aqua, morte violenta peremptus fuit, priusquam præcipitaretur in flumen. Jam contra experimenta illorum, me mea docuerant illorum in Pulmone spumosam aquam inventam esse, quos merseram mortuos. Argumentum proinde eorum secutus, debebam ex contrariis experimentis Thesim contrariam ponere; quandoquidem ii ipsi, si meis experimentis adstitissent, aquam in mortuorum Pulmones intrare posse, pro eo, quo sunt candore, ultro fassi fuissent. Videatur qui hanc objectionem præverterim *Cap. II. Sect. II. ad finem* §. *VI.*

Sed II. cum viri immortalis *Morgagni*, tum mea ipsius experimenta, & observata, omnia illorum argumenta & conclusiones penitus subvertunt, quandoquidem non eorum duntaxat, quos mortuos submersi, verum

rum etiam illorum, quos morbi communes sustulerunt, Pulmo hac spuma manaverit. His enim sic toties demonstratis, qua demum veri umbra sustinere ultra hoc suum argumentum poterunt: *nunquam in Pulmone hominis spumosus liquor invenitur, nisi in illius, quem vivum merserit unda. Ergo omnis, qui spumosam aquam in Pulmone gerit, vivus fuit mersus?*



CAPUT III.

DE HYDROPE IPSIUS PULMONIS.

§. I. *Ex infortunatis experimentis nostris videmur id lucrati, ut in lucidiorem* veri Hydropis Pulmonis, *proprie sic dicti, pervenerimus notitiem. Dubium videtur num* Hippocrates *hoc nomine eum intellexerit, quem nos, morbum; & an non, vel Tumores Cysticos aquosos, seu Hydatidas, vel Hydropem Thoracis, innuerit? neque aut* Aræteum, *aut* Trallianum, *aliud quam* Hippocratem, *subintellexisse liquet.*

§. II. *Recensitis sententiis* Mercati, Jacotii, Martiani, Pisonis, Ruischii, Albertini, Boerhaavii, ejusque illustr. Commentatoris van Swieten, Simsonis, Maloetti, Tozzetti, *id unice colligi posse videtur, quod si quandoque appareant velle de nostro morbo sermonem facere, mox, ut* Hippocrates, *vel de Tumoribus aquosis Cysticis Pulmonis, vel de horum tumorum Lympha in Thoracem effusa, & pectoris Hy-*

dropem generante, tam in Diagnosi, quam in Prognosi, curaque, loqui videantur.

§. III. *Colliguntur accurate omnia signa observata unquam in vita eorum, qui a morte inventi sunt vero cellulositatis Pulmonis Hydrope laborasse, & qui eundem annosum citra graviora incommoda, nisi per intervalla, tulerint: multa conveniunt cum phænomenis Hydatici Pulmonis, & Hydropis pectoris.*

§. IV. *Curatio Hydropis Pulmonis.*

§. I. QUod anxie quærimus, non invenimus sæpe, ut inveniendo quod minime quærebamus, damnum frustrati repararemus laboris. Sic ad magnam fortunam viam infortunia sæpe pandunt: ipsique per immensum Pelagus errores, atque naufragia, nos ignotarum Regionum divitiis cumularunt. Nobiscum comparatum eodem modo est. Curas Submersorum & Suspensorum, quas, idoneo tempore adhibitas, toties vitam consopitam revocantes, universa jam lætatur *Europa*; nos etiam tempore idoneo dudum præterlapso, an forte tunc adhuc effectum sortirentur, irritas experti; incidimus, DEO, a quo omnia, & quo sine nihil, sic benignissime disponente, & in tutiorem gravissimæ Medico-legalis quæstionis solutionem, & in morbi cujuspiam abstrusioris latentiorisque, gravioris nihilominus, ac frequentioris, illustrationem: *Hydropem* volo, non *Pectoris*; fuse quippe ille tractatus ab Autoribus est; sed ipsius *Pulmonis*: cujus verus in Medicina desideratur hucusque intellectus. Quod ut clarius ostendam, ab ipsis Medicinæ, in artem conversæ, incunabilis exorsus, perque sæculorum ordinem prosecutus, docebo quid notum de eo hucusque fuerit, quidque demum ejus notitiæ atque curæ, nostri cæterum inanes addiderint labores.

Hippocrates Lib. II. de morbis Cap. XXIV. Edit. Chart. Tom. VII. pag. 576. ὕδερον πλεύμονος, *Hydro-*

dropem pulmonis descripsit, in eoque Febris meminit; tussis quoque, & respirationis densæ, atque confertæ, pedum aliquando & ventris, scroti etiam ac faciei, tumoris, unguium contractorum, hocque morbo laborantes iisdem, quibus suppuratos, remissius tamen ac diutius, affici solere . . . Eosdem non nunquam se existimare curatos, in ventrem humore effuso: verum eadem mala, iisque pejora, redire. Num hic de vero *Pulmonis Hydrope*, & non potius de eo, qui Thoracis est, *Hippocrates* differat, quandoquidem solitam suam Diagnosin, & curam *Hydropis* Thoracis, hic addit, cui convenire, minime vero *Hydropi pulmonis*, hæc videntur; non admodum urgeo, judicio potius submitto sapientum. Par mihi dubium est de textu *libris de internis aff. Tom. VII. Cap.* 24. *pag.* 655. Illud modo notavit *Hipocrates* quod *Hydrops Thoracis* ex Pulmonum Hydatidibus nonnunquam nascatur, inventis quippe a se in varii brutorum generis pulmonibus; quæ scilicet ruptæ pectoris crearent Hydropem. Porro describit in hisce singulis textibus cum symptomata, tum curationem *Hydropis pectoris*; *Hydropis* vero ipsius *pulmonis*, Hydatidas istas, de quibus proprie nulla hic quæstio, si exceperis, nec symtomata narrat, nec curationem.

Fugitivum verbum *Aretæo* elapsum est *pag.* 94. *edit. Leyd.* περι τῶ ὕδρω; quale quid & *Alexandro Tralliano* excidit *lib. V. cap. IV.* nihil vero distincte utrisque: ut minime pateat notum iisdem morbum fuisse. Plurimum laboris impendi pervolvendæ Bibliothecæ Medicæ trium posteriorum sæculorum, ut quid lucis mutuarer a majoris nominis Medicis; verum si qui morbi meminerint, vix cognovisse eundem videntur, quandoquidem eum mox cum *Hydrope Thoracis* confundunt. *Ludovicus Mercatus* nonnihil plus de vero ipsius Pulmonis Hydrope, eoque ab illo Thoracis distincto, obscure differuit, *Tom. II. Lib. II. Cap. IV. Desiderius*

Jacotius autem ſæpius in cadavera incurrerit oportet, quorum Pulmones ſpumoſum fudere liquorem; ſuo enim Commentario in *Hollerii Lib. V. text.* 62. *Coac.* expoſitionem, de ſanguinis ſputo, utrum ex Hepate, an ex Pulmone prodeat, diſcernendo agens, *quum leviter, inquit, ſpumæ permiſcetur ſanguis, ex Gutture, Thorace, Hepate, prodire poteſt: cum vero plurimum ſpumat, e Pulmonis vaſis effunditur, cum totus ſpuma eſt, ex Viſceris carne, cujus induit ſimilitudinem. Eſt enim Pulmo veluti coagulata ſpuma.*

Proſper Martianus in Comm. ad verſum 197. *Lib. II. Sect.* 3. *Hipp. de morbis*, ipſum Parenchyma Pulmonis hydropicum fieri agnoſcit; ſuamque Lympham in cavum Thoracis tranſſudando, gignere pectoris Hydropem; ita tamen, ut una conſiſtere ſic & Pulmonis poſſit, & Pectoris Hydrops. Ceterum inter numeroſiſſimas apud *Bonnetum* hiſtorias vix unam, quæ ad ſcopum hunc noſtrum faciat, reperimus.

Carolus Piſo, ſæculi XVII. inchoantis celeberrimus Autor, morbum novit, deſcripſit, curamque adjecit, breviter quidem, aſt lucide ſatis, *Libr. de morbis ex coll. ſer. natis, ſect. III. Cap. VI.*

Eo ipſo ſeneſcente ſæculo, *Thomas Willis*, cum *Lowero* ſuo, clarus & inſignis, morbum dilucide apud *Anglos* novit, deſcripſit, in decurſu proſecutus eſt, & ſuam curandi Methodum evulgavit. *Pharm. rat. Part. II. ſect. I. cap.* 6.

Ill. Baro van Swieten, in Comm. ad §. 1220. *Boerhaavii*, nobis ex *Ruiſchio*, *Albertino*, *Simſone*, & *Maloëtio*, nonnulla refert, quæ ad verum Pulmonis Hydropem pertinere videntur: haud tamen ſic, ut cadaverum ſectione demonſtraverint hi Autores morbum: *Ruiſchius* enim non loquitur, niſi de Pulmonis celluloſitate aëre turgida; *Simſon* vero fatetur rarius Hydropem Pulmonis in cadaveribus inveniri; partim quia facilius curationem recipit, partim quia Hydrops pulmonis

nis pertinacior, facile, rupta tali *Vomica aquosa* pulmonis, in Hydropem abeat Thoracis: an igitur *Simson* directe de nostro morbo egit? & non potius de cystico tumore aquoso in pulmone? Tandem doctissimus *Maloët* in tota sua dissertatione ne meminit quidem *Hydropis pulmonis*, sed unice modo saccorum duorum, plenorum sero, Hydatidum in morem, qualem & jecur in eodem corpore gerebat. Hydatidas atque Pulmonum hydropicos saccos, in laudato Aphorismo *Boerhaavii Ill. Baro* recensuit: ipsam Pulmonis fabricam cellulosam lympha repleri, hancque vel in cavum Tracheæ aliquando transprimi feliciter posse, vel infortunate in cavum depluere Thoracis, utrique admiserunt, *Boerhaavius*, & *Swietenius*; ex professo vero de eodem neque hi, neque quos laudarunt, Autores, egerunt, ut de *Hydrope pectoris*, *ventris*, *scroti*, &c. egerant.

§. II. Ex omnibus igitur liquet paucos extitisse summorum Medicorum, qui ex Anatome morbum noverint; ut certo videantur vel oscitanter præteriisse eundem, vel crebritate observationum pulmoni naturalem credidisse, qua exundaret, lympham. Profecto quisquis cum *Morgagnianis* observatis mea conjunxerit, minime rarum esse morbum intelliget, mirabiturque proinde nullibi fere eundem ex professo tradi, per signa indicari sua, vel sua diagnosi, prognosi, atque curatione, exponi. Perpauci enim ipsum nomen recensuerunt: quique recensuerunt, ut *Hipp. Gal.* cæterique, aut intellexere eo nomine Thoracis Hydropem, aut sive in pulmonum superficie extantes, sive vomicæ in modum in ipsa pulmonum substantia locatas Hydatidas, quæ, more vomicarum, vel in aerea pulmonum vasa, vel dorso suo in cavum exonerare se pectoris possint: sique forsan pulmones in tota sua cellulositate posse hydropicos fieri existimarunt, ut *Piso*, *Albertinus*, *Simsonus* &c. id sane nulla demonstratione, sed mera conjectura ex quibusdam symptomatibus protulerunt.

runt. Si enim cum incipiente partium externarum œdemate, difficilior redderetur respiratio, ut *Albertinus*; vel si aut vultus, aut malleolorum tumorem respiratio anhela, vixque tangibilis præ suppressione pulsus, concomitaret, ut *Simson*; vel si post prægressum aquæ quam plurimum potum, homo respiratione laboraret, cum signorum cujuscunque Pulmonum morbi absentia, ut C. *Piso*: Hydropem verum Pulmonis adesse conjectarunt, cadaverum autem inspectione nunquam probaverunt. In quo igitur illi defecerunt, nos peculiariter in hoc capite versemur oportet, ut morbi natura curaque patescat.

§. III. Hinc quæ alii, quæ nos, in vita eorum, quos Pulmones hydropicos a morte invenimus, peculiariter notavimus, hic recensebo. *Em. Card. Barbadicus* catarrhosus in vita fuerat, & catarrhosa febre epidemica perierat. *Vide Capitulo II. Sectic IV.* Et in cancroso, & in hernioso, inventus sic Pulmo fuit; vita anteacta ceterum non additur. *ibid. Mulier* autem cui spumosus a morte pulmo, magnas anxietates passa erat, multamque expuerat spumosam, ac sanguine tinctam, materiem. *ibid. Ebrii hominis* vita anteacta non memoratur. *ibid. Figuli* historia non additur, nisi quod strenuus potor esset. *ibid. Ancillæ, minus a tribus mensibus menstruanti*, & a capto frigore in Pleuro-peripneumoniam illapsæ, in morbo hoc ex ore effluebat humor aquæ instar spumosæ, in qua caro recens lota sit. *ibid. Vir intemperantis vitæ* magnas passus fuerat in respiratione anxietates, palpitationes cordis, & corporis œdema. *ibid. Lotrix* a sexennio spirandi difficultate, quæ astmatis convulsivi speciem habebat, sæpe in Nosocomium, consilium captura, venerat, & eodem morbo ibi moriebatur tandem. *ibid. Pleuritici* Historia non additur. *ibid.* Sed *Adolescentulus* ultra tres menses difficulter spiraverat. Hæc de ægris, quorum pulmones spuma scatentes invenit *Morgagnus*: jam de nostris.

Noster

Noster *rude donatus Miles Cap. II. Sect. III.* multis ab annis tussi, sputorumque tenuium excretione, laboraverat, inque letali suo morbo unicum aderat a sputis tenuibus spumosisque levamen. *Studiosus* a sex annis tussi, anxietate, lateris sinistri dolore, febre varia, corrhyza, catarrho, frequenter laboraverat, suaque in letali pleuro-peripneumonia pauca quidem, sed tenuia, ac spumosa, modico subinde muco mista, sputis reddidit. *Reverendus Sacerdos* ab annis 20. catarrho frequenti vixerat obnoxius, sudandoque frequenter malum mitigaverat. *Belli Dux* præter cordis palpitationem, quatuor retro annis multa vexatus tussi fuerat. *Saltator* noster se sæpe vehementer eo exercitio, in quo peritus Artifex audiebat, se defatigaverat, & catarrho non raro laboraverat. *Febre ardente* in nostro Nosocomio *defunctus* ter in vita Pleuritide decubuerat; ante quadriennium ultima. Sed & ante biennium scabiem unguento repulerat, & consuetam venæsectionem hoc anno præterierat.

Et ut tandem de aliis supra laudatis viris aliquid dicamus; quamvis supra jam nonnulla retuli; egregius *Piso Sect. III. Cap. VI. pag.* 235. ex frequenti aquæ gelidæ, præprimis autem exæstuante corpore, potu, *Adolescentulum scholasticum* in hydropem verum pulmonis incidisse judicabat, *cum ex illa gelidæ potandæ consuetudine duos ante menses spirandi difficultatem pati cepisset, quæ sensim increbrescens æqualiter sine febre, & sine tussi orthopnœica, & stertorosa quodam modo videtur jam fieri: nam nonnisi cum alto anhelitu, & gravi, spirare videtur, imo auditur, & decumbit semper cum gravi stertore: ac tametsi corpus exercere potest, a labore tamen quolibet non mediocriter affectus augescit.*

In Inst. Bonon. Tom. I. Albertinus œdematis pulmonis Diagnosin formavit, quando una cum œdemate partium externarum statim adsit difficilis respiratio. *Simson Act. Edimb. Tom. V. Part.* 2. Oedema seu Hydro-

dropem Pulmonis suspicabatur, si vel vultus, vel circa malleolos pedes, intumescerent, cum respiratione difficili, pulsuque præ suppressione vix tangibili.

Maloët Acad. Sc. R. P. anno 1732. Vomicas aquosas in cadavere duas, uncias sex pellucidæ lymphæ continentes invenit, in singulo pulmone singulam. Homo miles fuerat, magna difficultate respirandi laborans, cum febre lenta, nec in dorsum nec in alterutrum latus cubare valens præ molestia tunc percepta pectoris, unde erectus passim esse cogebatur: brachia & manus, cruraque ac pedes, obsidebat œdema. Signa hæc multum conveniunt cum iis, quæ narrantur esse Pulmonis in sua cellulari substantia vere hydropici; ut in *Morgagni* nostrisque experimentis.

Targioni Tozzetti Racc. prima pag. 83. conjecturas habuit præsentis hujus mali ex consimilibus symptomatibus, & ab excretis aliquot libris materiæ similis ovi albumini; at vero cum unus a morte examinatus anatomice non fuit, alter convaluit, uterque homo *Tozzetti* non demonstrationem Hydropis aut *cystidis* Pulmonis, ut in casu *Maloëtii*; aut *cellularis*, ut in nostris; sed meram conjecturam, reliquit.

§. IV. Igitur catarrhosa dispositio diuturna, vel sine tumore oedematoso sive faciei, sive inferiorum crurum, sive corporis fere universi, vel cum tumore earundem partium: respirandi anxietates validæ, cum spumosa materie, sanguinis leves notas gerente, sputando ejecta: Spiritu abundantes potus prægressi: Mensium insolita paucitas: Vitæ intemperantia, quæ respirandi anxietates, cordis palpitationis, & corporis œdema genuerat: Dyspnoea frequens, ac convulsivum asthma simulans, idque demum letale: Dyspnoea trium mensium: annosa tussi cum copiosa muci spumosi per sputum excretione: Diuturna tussis cum frequenti & anxietate, & dextri thoracis lateris dolore, frequentique febre, catarrho, corrhyza: Catarrhosa 20. annorum dispositio, quæ an-

nua

nua ſudorum curatione levari ſolebat: Tuſſis multa, atque annoſa, cum palpitatione cordis: prægreſſi inflammatorii pectoris morbi: retropulſa ſcabies &c. hæc ea ſigna ſunt, quæ & nos, & alii, qui morbi cauſam non conjectando, ſed inſpecto cadavere percepimus, in vita prægreſſa eſſe obſervavimus: reliquorum autem Scriptorum, qui ex ſemel iterumque aquoſa pulmonis vomica inventa, eam poſtmodum adeſſe ſuſpicati ſunt, ſigna morbi haud abſimilia deprehenduntur iis, quæ hucuſque recenſuimus.

Et ſane ſimilem caſum, quo hæc nunc tempore ſcribo, Noſocomium habet.

Mulier ægrarum noſtrarum miniſtratrix, 28. ann. nupta quidem, ſed nunquam adhuc gravida, cum a decem retro annis peſſima intermittente febre, eaque diuturna, curata eſſet, longo tempore comatoſa fuit, experge facienda ut comederet, mox a paſtu iterum ſoporoſa. Poſt trium ſeptimanarum ſpatium hoc coma ceſſit univerſi corporis œdemati: hoc iterum Cephalalgiæ intolerabili, quæ demum curabatur copioſæ materiæ, flavo-viridis, per nares aureſque profluvio; ita tamen, ut poſthac æque æſtate, quam hyeme, perpetuo repetentibus, ut vocant, Catarrhis, obnoxia hucuſque vixerit, pauca ſputa tenuia, mucoſa, ſanguine ſubinde tincta, reddens, cum pectoris ardore, & non infrequenti dolore.


Ineunte Decembri ann. 1772. ejuſmodi Catarrhum habens, hunc reticuit 14. dierum ſpatio, munus ſuum perficiens, ſuum modo ſolitum ſe pati Catarrhum ceteris Noſocomii domeſticis afferebat. Jam vero febris, tuſſis, anxietas, ſputa admodum cruenta, Pulſus ſuppreſſus, Cephalalgia, Viriumque defectus tantus, ut ſe mihi ſiſteret, atque ego illico libram medicam ſanguinis ipſi detraherem, cujus ſanguinis tertium vaſculum albam geſſit denſamque cruſtam. Porro in corpore hoc phlegmatico, tam fera fuit inflammatio pleuro-peripneumoni-

monica, ut Plethoricæ instar tractanda fuerit; & ut post quater iteratam Venæ-sectionem sputis paucis, iisque aquosis, spumosis, mucosis, ac subinde suppurulentis; alvo per omne morbi tempus crassæ pultis instar, & quotidiana; sternutatione frequenti per plures dies; & urinis sabulum passim sistentibus, mensis circiter spatio sic de hoc morbo convaluerit, ut primum major minorve & tussis & anxietas, redeunsque sæpe corporis œdema, eam leviter affecerint, licet ancillare obiret quotidie munus; & ut tandem fere omnia symptomata desierint. Hæc profecto signa habet pulmonis hydropis multa, quorum laudati Autores meminerunt, eaque jam tot retro ab annis hucusque. Serosa colluvies post febrem coma primum, succedens comati oedema, suffecta oedemati cephalalgia, & cephalalgiæ crisis pro parte dumtaxat per aures naresque facta, pulmonis oedema seu hydropem genuit. Imo ne curata quidem sic cephalalgia per illam crisin fuit, quin cephaleæ in modum sæpius affligat fœminam, & vesicante ad nucham admoto conticescere soleat. Morbum hunc bono regimine, moderato motu, auxiliis expectorando, urinam, alvum ac diaphoresin promovendo agentibus, serosa hæc colluvies verno hoc tempore sic emendata est, ut respiratio bona sit, ni se nimio exercuerit motu, tussis rarescat, corporis, ac vultus præsertim, oedema exulet; jamque diathesis serosa ne redeat, ferratis annisi aquis, fortunatissime progredimur.

§. V. Curationem morbi ex laudato mox *Carolo Pisone* petitam huic mulieri adhibui. Quippe ex eodem, elapsis abhinc ferme quadraginta annis, morbi petiveram notitiem; atque in omnibus serosis capitis, pectoris, ventris, articulorumque morbis, illum consulens, opem haud plane mediocrem in morbis istiusmodi cognoscendis & curandis me tulisse fateor: unde & Auditoribus meis inter Principes practicos laudare *Pisonem*

rem ſoleo: ne vero idem repetam, & *Piſonis*, & memoratorum Autorum omnium, curandi leges ſic ſunt, quemadmodum mox in §. IV. exemplo oſtendi: modo aliqua adjungantur, quæ Noſocomiorum conditio paſſim vetat, ut aër ſerenus ac ſiccus, vel Aromaticorum fumo, talis, vel potius locata in Montanis habitatione; ſicca cum lecti ſtragula, linteaminaque, tum corporis indumenta; victus ſiccus; Equitatio, motuſque omnis, quo perſpiratio libera ſit ac larga; victus ſiccus, parcus, iſque roborans potus &c.

Cura hæc multum differt ab ea, quæ cæteris Pectoris obſtructionibus, Phthiſin minantibus, adhiberi ſolet: unde plurimum confert hujus morbi ſigna & ſingula, & omnia, accurate adnotaſſe, ne aliena medicina, alieno in caſu noxia, alieno adhibeatur morbo.



CA-

CAPUT IV.

DE DÆMONIACIS.

§. I. *Ratio hujus Dissertationis.*
§. II. *Historia fœminæ a Dæmone 18. annorum spatio obsessæ habitæ, quam fictam Nosocomium deprehendit.*
§. III. *Notabilis impostura similis ex Historiographis Gallis, multum illustrans hoc negotium.*
§. IV. *Phænomena quæ adesse iis dicuntur, quos obsidet Dæmon.*
§. V. *Difficultas ea verane, an ficta sint, dignoscendi. Alia vident hic qui mente præoccupati, alia qui non. Ficti morbi multum faciunt ad fictas obsessiones Diaboli interstinguendas. Methodus num fictæ eædem sint, an falsæ internoscendi.*
§. VI. *Quid proprie de obsessione Dæmonum statuendum sit. Solutio Difficultatis formatæ ex sana corporis post insultum constitutione. Solutio quarundam quæstionum.*

§. I. INgratam plane rem, tædiosamque eandem, ac plane erubescendam, iterato tractare compellor, quantumcunque hanc *Tomo V. hujus mei annui operis* abunde tractasse mihi visus sim. *Dæmoniacos* volo, quos *credula gens* multos existere censet, cujusque credulitatem ii heu nimium! firmant, augentque, quorum fuisset antequam suum officium periclitarentur, aut per se, aut per aptos operi viros, inquirere, utrum vera Dæmonis obsessio foret, an vero aut morbus, qui post maturum examen nihil videretur præternaturale habere, aut demum ars mere præstigiatrix, esset. Cum dedecori & Ecclesiæ sit, & Reipublicæ, ludibrio toties

a va-

a vaferrimis hominibus exponi, mearum partium esse duxi ad hanc rem illustrandam operam omnem navare, in qua utrum temerarius habendus sim, an bonus Ecclesiæ, Reique publicæ civis, veri, & æqui, religiosique Censores, dijudicabunt.

§. II. Porro ut ordine hæc pertractatio ducatur, enarranda historia erit, quæ fundamentum jaciat dicendorum. Mulier 41. annor. sutoris in agro *Linziano* uxor, ab annis retro 18. elapsis Diabolo obsessa dicta fuit, sic ut primis tribus annis rarius, posterioribus quindecim vero neque vel unicum diem noctemque, Diabolus illam tranquillam reliquisset; ita ut de hac re nullum videretur dubium superesse, Ecclesiasticis viris, pietate, doctrinaque conspicuis, id sancte testantibus.

Verno hoc tempore sutor viam diu quæsitam demum invenit, libellum supplicem in AUGUSTISSIMÆ NOSTRÆ IMPERATRICIS ac REGINÆ manus tradendi, quo ejus erga se, quem & pauperies, & obsessa a dæmone uxor dire premerent, misericordiam, benevolentiamque excitaret. His intellectis, AUGUSTÆ nota singulis sagacitas, verique amor, eo ejus animum impulerunt, ut juberet hanc feminam *Linzio Viennam* transferri, meoque in Nosocomio examinandam sisti. Nosocomium inferebatur 5. Junii proxime elapsi. Tres quatuorve horis quotidie cum illa occupatus, testis loquar autoptes; quæ me absente contigere, ex Diario Nosocomii exactissimo suppleturus.

Mox illata in Nosocomium maledixit benignissimo SERVATORI, AUGUSTISSIMÆ, iisque, qui eam *Viennam* duxerant. Reposita in lectum horrende contorquere se cepit, oculos rotare in omnem partem, ut plerumque nihil nisi eorum album, sed perpetuo motum, convulsumque adpareret. Omnes faciei musculi modum in omnem convellebantur. Collum novit ita & in humeros, & præcipue in dorsum flectere, ut simile

vide-

viderim nunquam. Interea vociferabatur, cantilenas cantabat aut germanicas, aut incondito sermone non intellegibiles, quasi exoticam linguam æmulari conata. Ad hæc cepit corpus in semicirculum agere, caput ac pedes lecto figens, ventrem in altum: mox extendere sese, & altitudine aut pedis, aut sesquipedis, totum corpus in sublime conjicere, idque haud minus celeriter, quam frequenter; forte vigesies, trigesies, & sæpius, sine interposita quiete; post momentum quietis, idem repetivit, moxque demum imprecationes in DEUM, in AUGUSTISSIMAM, in Maritum, & hoc modo ultra horam continuavit.

Interea temporis & Rosarium, & S. Crucem, in manu habens, ter in terram indignabunda projecit, terque redditam osculata amplexaque est, imo veniam a DEO rogavit, moxque illi iterum maledixit, monens non prius se, mox iterum in se diabolum, loqui.

Has, & plures aut alias, aut mutatas hinc inde gesticulationes edidit, pulsu ac respiratione semper post agitationes summe naturalibus.

In media interquiete sic fuit, ut mente ac corpore sanissimam illam dixisses, & vitam suam totam non plane laudabilem narrabat, & quæ a diabolo jam 18. annis patiebatur, quamque ardenter sæpe a DEO petiisset, ut se a tanto hoste liberaret: in media ejusmodi confabulatione suas convulsiones imprecationesque repetebat.

In prandio ac cæna comedit bene, quamvis a Diabolo deglutitionem sibi impediri diceret. Ab Opii grano sex horis tam bene dormivit, ut ronchus audiretur. Expergesit, Rosarium, aliasque preces, flexis genubus orat. His absolutis, paroxysmum repetit, maledicit DEO, veniamque ab illo petit: communicat demum confidenter cum custodibus & assistentibus, diabolum mox sibi pro sua cum illa familiaritate inter alia sua arcana id revelasse, quod Professorem Nosocomii hodie lubentissime interimere vellet. In-

Interea advenio, audio quæ gesta erant, repetentis convulsionis spectator sum, jamque fuci per omnia gnarus, experimentum *Tomi V. pag.* 137. instituo, dæmonem fugo, & quæ quindecim annorum spatio ne unicam quidem diem noctemve, se ab insulto diabolico liberam fuisse testata erat, jam ab hora nona matutina diem hanc, & alteram, & tertiam transegit, tranquille, rationabiliter, devote; femineum manibus laborem ad fallendum tempus exercuit, comedit optime, & colicam semel conquesta, ab enemate bene habuit.

Ad finem hujus lucidi intervalli familiariter blandeque cum illa confabulans, conatus sum eam convincere quod non esset a diabolo obsessa, cum vidisset per auxilia nostra totum malum cessare; quod si diabolo autore natum esset, minime cessaturum fuisset: hoc cum ægre admitteret, dixi se melius convictum iri de hac mea assertione, dum malo forte adhuc redeunte, auxilium idem adhiberetur.

Hæc minime placuerunt: unde post mediam noctem leviter affici malo suo cepit: audiens vero curam priorem repetendam mox fore, tranquilla in horam sextam fuit; tunc vero gesticulationes iteravit, ex lecto prosiliit, capiti innixa in pavimentum totum corpus in anteriora, ut pueri solent, projecit, lateraliterque se per cubiculum circumvolvit, viam ad me, remotius stantem, volvendo affectans, veluti me, si perstitissem, in terram projectura. Blando meo hucusque habito cum illa sermone in serium minantemque verso, composuit se, & exinde toto, quo apud nos adhuc fuit, biduo, nihil ultra contra decus, contra rationem sanam, contra bonos mores, gessit. Rerum actarum gnara AUGUSTISSIMA, ne consuetæ meæ ægrorum demonstrationes in Nosocomio turbarentur, eam ad Nosocomium *S. Marci* duci jussit: in quo recusavit primo suæ vafritiei rationem causamque fateri; tenuissimo demum victu ceterum sana & summi appetitus femina, demum

coacta,

coacta, confessa est se obsessam simulasse, tum ut Maritum vexare perpetuo posset, tum ut sibi eleëmosynas corraderet; artificium autem hoc a Militis uxore se didicisse.

§. III. Priusquam autem hanc historiam absolvam, operæ pretium duxi hic singularem quandam historiam intermiscere, quam mutuavi ex duobus scriptoribus nobilibus summæ fidei, existimationisque Historiographis, ac Galliæ ornamentis, *Thuano*, & *Mezeræo*. Compendio traditurus, remitto eos, quibus omnia legere volupe sit, ad *Mezeræi Tomum III. pag.* 1224. *Edit. paris. anni* 1685. & ad *Thuanum Tom. V. ad annum* 1599. *a pag.* 849. per sex septemve sequentes. Hæc historia nostram illustrabit, multamque in curando monstrabit paritatem.

Jacobus Brosserius, pannificii sui rusticique laboris pertæsus, circulatoriam vitam prætulit, atque cum tribus filiabus, quarum *Martha* a dæmone obsessa dicebatur, vagabunde varias urbes adivit, ut suam cum filia *Martha* Comœdiam luderet. Cum veram obsessionem esse judicarent multi sacerdotum, exorcisarunt quidem dæmonem, sed illa exorcismos elusit omnes. Fraude *Aureliæ* ab Ecclesia detecta, aliorsum aberrandum erat, ut belle continuaretur. Itum ergo *Andegavum* fuit. *Carolus Miro*, Reverendiss. urbis Antistes, fictane an vera res esset, modis explorare variis contendit. Dum ad aquam, cui benedictum est, diabolus immaniter ferocire visus est, ad aquam vero communem minime; permutata, ipsa inscia, aqua, ad communem fremuit, ad sacram minime. Exorcismorum librum jubenti afferre alta voce Episcopo, dum clam profanum quendam librum tradi curasset, affertur *Virgilii Æneidas*: magno tunc apparatu, veluti exorcizaturus, legit: *Arma virumque cano, Trojæ qui primus ab oris, &c.* & mox furorem immanem & horrendas convulsiones *Martha* finxit. Unde Patrem & filiam vehementer

corri-

corripuit Prælatus, & domicilium antiquum, laboremqu repetere jussit.

Cum salutare hoc consilium sceleſtiſſimis his hominibus displiceret, *Pariſiis*, urbe populosiſſima, se majorem fidem habituros arbitrati, mox illuc appulerunt, & ad *S. Genovevæ* Templum primam scenam luserunt, eaque cum arte, ut plebs & potiſſimum *Rev. Patres Capucini*, quos inter Pater *Seraphinus* eminebat, *Martham* a diabolo indubitato obſeſſam eſſe aſſeverarent. A vero *Eminentiſſ. Card. Gondius*, *Pariſinorum Episcopus*, examinandam feminam quinque celebrioribus Medicis tradidit; *Michaeli Mareſcotio*, *Nicolao Ellanio*, *Joanni Altino*, *Joanni Riolano*, & *Ludovico Dureto*. Cum neque latine, neque græce, interrogata quidquam intelligeret, sed gallice modo, responderunt Medici *nihil a ſpiritu*, *multa ficta*, *pauca a morbo eſſe*.

Poſtridie Duretus, *cum* Ellanio, *infixa inter pollicem & indicem acu*, *an ſenſu doloris tangeretur*, *tentare voluit* : *cum ad ictum non tremiſceret*, *ille &* Ellanius, *petunt collegas advocari*, *& in craſtinum rem differri*.

Igitur Kalend. Aprilibus *magna omnium expectatione* a Seraphino Patre *exorciſmi repetuntur*; *ad quos* Martha *oculos rotans*, *lingua exſerta*, *& contortis membris ac toto corpore*, *exhorreſcebat* : *tum ad hæc verba* : *ET HOMO FACTUS EST*, supina desultatione veluti exossato corpore *fluctuans*, *ab altari ad valvulas ſacelli*, *in quo erant*, *erepſit*. *Qua re perculſis adſtantibus*, Pater Seraphinus *commotior exclamavit* : Si quis sit adhuc incredulus, hic spiritum intus agentem ſiſtat, & vitæ periculo cum eo luctetur. Heic *Mareſcottus* nihil niſi fictum videns, & imposturam non ferens: ego vero *inquit*, periculum in me recipiam : spiritus, si potest, me validior ferat! *quibus dictis ſtatim contra obluctanti manus in cervicem injicit eamque conſiſtere jubet*. *Illa ubi ſe captam vidit*, *cum ſe amplius commovere non*

posset, ut imposturam tegeret, spiritum abiisse, seque reliquisse *respondit*.

Multo dein sermone *Thuanus* refert agitatum negotium & inter hosce Medicos fuisse, & inter quinque alios, qui prioribus suffecti erant; præcipue quia contrario experimento *Martha* nunc quibusdam visa erat anglice latineque calere; quos tamen omnes retutabat egregie *Marescotus*. Vide *pag*. 869. 870. 871. Interim *Henricus IV.* metuens ne forte hæc præstigiatrix adhiberetur, ad tumultus contra recens *Nannetense Edictum* concitandos, rem *supremo Parisiensi Senatui* dijudicandam tradidit. Exacte *Martham* esse 40. dierum spatio observandam Senatus edixit, serioque a præcipuis urbis Medicis examinari: *hi vero nihil præternaturale subesse testati sunt*. Hinc Senatus tumultum metuens, eoque propiorem, quo Templorum suggesta de violatis Ecclesiæ privilegiis, hæreticorumque prædominante consilio, fortius resonarent, hanc errabundam familiam suum in Domicilium remisit, patri pœna corporali, ut vocant, indicta, si *Martham* egredi domo, citra loci Judicis veniam, sineret.

At vero necdum finita res fuit. Vir nobiliss. ac rev. *Alexander Rupi Fulcaudius*, *sancti Martini Abbas*, frater hujus nominis Cardinalis, & *Claromontii* Episcopi, forte a fratre instigatus, *Martham Avignonum* primum, deinde *Romam* duxit, spe fore ut autoritate *Patrum Societatis* hæc femina contra gallorum Episcoporum, & præcipue contra secularis potestatis sententiam, vere dæmoniaca pronunciaretur. At vero & *res Societatis*, cara sua de *Gallia* pulsæ, postulavit, ne huic negotio se immisceret, quo facilius Rex in ejus reditum commoveretur; & summus Pontifex, ejusdem imposturæ jam gnarus, omne tentamen suppressit: miserandus Abbas autem, exploso toto negotio, ludibrio habitus, veniam a Rege petivit, non obtinuit, brevique confectus mœrore interiit: *Martha*, paterque,

Xeno-

Xenodochiorum ſtipe miſere vixere, ac periere.

§. IV. Ex his duabus Hiſtoriis, eorumque libris, qui hanc quæſtionem tractarunt, apparet dæmoniacis adſcribi. Primo, horrendas, inſuetas, ac præternaturales convulſiones, contorſiones, corporis in ſublime projectiones, rotationes, convolutiones. Secundo, clamores, ejulatus, boatus, balatus, latratus, mugitus, cantus. Tertio, linguæ græcæ, hebraicæ, arabicæ, latinæ, cunctarumque Europæ Nationum, aut enuntiationem, aut ſaltem dum quis exotica lingua alloquitur, eum ejus intellectum, ut ſuo patrio ſermone apte reſpondeant ad ejuſmodi interrogata. Quarto, in ſuis agitationibus curſibuſque a nemine poſſe, citra ſummum vitæ diſcrimen, ſiſti. Quinto, diras imprecari eos Deo, Beatæ Virgini, Angelis, cunctiſque Sanctis. Sexto, furorem ſummum ad lectionem divinarum rerum, ad auditum Dei, ſanctorum, rerumque ſacrarum nomen, vel applicationem, ad exorciſmos, &c.

In *Gallica Martha Broiſſier*, & in *Auſtriaca* noſtra *Anna Maria*, videmus omnia hæc, vere perſonata contigiſſe, ac bene illas fuiſſe de agendis inſtructas. Optimum quidem noſtrum *Ludovicum Duretum* duo morabantur, ne impoſturam fateretur; indolentia ad puncturam, & rumor de notitie anglicæ ac latinæ linguæ, non abs ſe quidem obſervata, ſed ab aliis enarrata; at vero primo nos in noſtris fictis dæmoniacis hanc indolentiam plus ſemel obſervavimus: ad hanc ſimulandam obduratus in malitia animus eas aptat. Si quis dubitet, videat *Tom. V. Rat. Med.* quo pacto ſceleſtiſſima mulier ter ſuſtinuerit profundam inuſtionem Chirurgi, indolentiam ſimulans, ne qua victum quæritabat epilepſia, falſi argueretur. Secundo, *Dureto* examinanti donum linguarum defuerat, hoc dono *Martham* donatam eſſe alii negavere, alii affirmarunt. Novimus abunde quam ingenuoſa ſæpe rerum fictrix ſit mens humana, præſertim ſi eſt præoccupata. Qui *Lin*-

zio *Viennam* noſtram *Annam Mariam* duxerunt, per omnia ſacra teſtari volunt eam, in itinere convulſam, ac S. Crucis imaginem humum indigne projicientem, a tranſeunte Sacerdote latine juſſam fuiſſe a terra hanc levaret, oſculareturque, & mox executam mandatum fuiſſe. Nos ſimilia teſtari potuiſſemus, ſi non egiſſemus penſitatius. Verum per multa latine apud ipſam dicta, certi eramus ignotam illi hanc linguam eſſe; deinde intra horam contigit, ut ter a ſeſe S. Crucis projecerit imaginem, terque repoſitam in lectum oſculata, amplexaque fuerit; ſemel vidi non ab ea projectam Crucem, ſed ad latus poſitam, brevi in manibus ſumtam, habitamque honorifice fuiſſe. Porro ſi inter S. Crucis projectionem, & amplexum, quis noſtrum num latine aut græce calleret, his linguis exploraſſet, hæcque protinus juſſa hæc exequi viſa fuiſſet, anne veriſimilitudinem noſtra affirmatio habuiſſet de linguarum dono? Jam vero, quod ter apud nos non juſſa fecit, oſtendit feminam latini ſermonis ignaram ſic in itinere feciſſe, uti non juſſa pluries in noſtro Noſocomio fecit.

Sed multos ſtupendæ corporis contorſiones movent, corporis in altum projectiones, horrendæque convulſiones enarratæ, quas ſola malitia non poſſe peragi exiſtimant. Reſpondeo his hæc nobis ideo præternaturalia non videri, eo quod paria illis in variis epilepticis, & catalepticis, non fictis, conſpexerimus: deinde omnia hæc mirifica ſymptomata & in iis, quorum *Tom. V. Cap. IV.* memini, apparuiſſe; qui tamen totam rem ſe finxiſſe, & convicti & faſſi ſunt.

§. V. Ex datis Hiſtoriis hiſce, ex libris de hac re agentibus, & ex noſtris *Tom. V. Cap. IV.* deſcriptis obſervatis, conſtat varias methodos quibus fucuſne, an ſinceritas innoteſcat, adhiberi ſolere. Imitatione Reverendiſſimi *Andegavenſis* Epiſcopi, experimentum aquæ ſacræ, & profanæ lectionis pro ſacra, feliciter imitati ſumus: puncturas, vellicationes, ignes, efficaces

ces sæpe, non perpetuo, licet summa impostura esset, deprehendimus. Linguas nunquam caluerunt; sed ferax imaginatio harum defectum supplevit, ut mox patuit; unde hoc tentamen rite captum semper irritum est. Si resisti iis sine vitæ dispendio non possit, & nostra, & *Parisina*, & omnes mei priores dæmoniaci, imposturam ostenderunt.

Restiti eis currere volentibus, ut consisterent, & meo jussu jacerent, sederentque. Hanc Annam Mariam in medio brachiorum suorum violento motu composui, ut non moveret se, imo in ultimo paroxysmo omnem motum minis protinus sufflaminavi.

Imposturam præterea aliud demonstrabat. Dum in molli lecto jacens, ac linteamine straguloque tecta, corpus in pedis ac sesquipedis altitudinem projiciebat, corporis opercula casum per latera minabantur. Pudor ne denudaretur effecit, ut ter in unico paroxysmo opercula in corpus adaptaret, eisque verum daret, ne caderent, æquilibrium.

Experimentum, seu tentamen aquosum, nunc memorabo. Et hanc fœminam, & alias, quarum toties jam laudato *Tomo V.* memini, unico momento sic curavimus hoc tentamine, ut de paroxysmo ne gru quidem superesset. Est cura comendatissima *Hippocrati* in *Tetani* specie. Sex, septem, octo in acie locati, & amphora frigidæ aquæ armati, stant: mulieri convelli jam ceptæ, aliasve gesticulationes edenti, primus suam amphoram in vultum, nihil tale suspicanti, uno jactu totam effundit. Terror ab insolita salutatione, horror frigore excitatus, conspectus tot hominum vitris magnis amphorisve, ad prosequendam affusionem adstantium, sistit paroxysmum parumper; Sed cum malitia omnium tanta soleat esse, ut brevem post pausam gesticulationes repetant, omnes ordine suum officium præstant, ut unico tali experimento aliquando quinque sexve mensuras aquæ profundamus. Tunc resipuerunt omnes;

nes; indusium autem, togaque madida, mutantur, in calefactum lectum reponuntur bene tecti, ac calido jure carnium refocillantur, ne frigus corpora lædat.

Sic passim unica vice impostura detecta est, & plane suffocata; maxime si tunc a suprema potestate minæ seriæ intententur condignæ pœnæ, si vel minimum deinceps advertatur malitiæ indicium. Fuit tamen quæ hoc tentamen secundo institutum fefellerit, & quidem hæc nostra femina; cujus nihilominus malitiam minæ intentatæ mox compescuerunt, & penitus suffocarunt.

In singulis nostris dæmoniacis dictis, ut & in fictis Asthmaticis, atque Epilepticis, pulsum a paroxysmo ficto finiente vix mutatum deprehendimus a sanitate; & corporis universi vix læsas ullas functiones; interea dum in vera epilepsia, post paroxysmum debilis, inæqualis, multisque modis peccans, soleat deprehendi, pluriumque per horas, diesve, miserabilis teneat corpora languor. *Parisinorum Medici* qui in causa *Marthæ* a parte *Ludovici Dureti*, summi viri, stabant, ex bono post paroxysmum pulsu, corporisque alacritate, vere dæmoniacam concludebant: *Marescottus* vero ex hisce contrarium oportere confici censebat, fretus autoritate evangelica, cum *Marci Cap. IX.* in curatione dæmoniaci legatur sic: *Et cum videret Jesus concurrentem turbam, comminatus est spiritui immundo, dicens illi: Surde & mute spiritus, ego præcipio tibi exi ab eo, & amplius ne introeas in eum. Et exclamans, & multum discerpens eum exiit ab eo, & factus est sicut mortuus, ita ut multi dicerent: quia mortuus est. Jesus autem tenens manum ejus, elevavit eum, & surrexit.*

Neque ineptum hoc *Marescotti* argumentum est. Omnes illi personati homines exercent se paulatim in vafro suo artificio, in quo si principio turbetur nonnihil ipsorum corporum œconomia, paulatim nihilominus assuefacti, gaudio sui in malitia profectus, spe eam perficiundi, mundumque egregie decipiundi, vix tandem

dem a suis gesticulationibus aut defatigantur, aut anhelant. Dum nos Fabrorum ferrareorum Malleolas tollere, & aliquot ferre passibus cogimur, jam anhelamus, & pulsum cum respiratione mutatum habemus; interea dum ipsi Fabri malleum per horam elatis continuo brachiis agitantes, vix mutati deprehendantur. Nolim vero regulam invariabilem ficta a veris distinguendi hanc asserere; corpore enim debiliores, & maxime in impostura addiscenda tirones, aut ne fraus detegatur meticulosi, facile mutatos habere pulsus, mutatamque respirationem, possunt. Ceterum *Marescotti* argumentum admittendum videtur, & crebro nobis in mentita epilepsia, mentitoque Astmate, magno auxilio fuit.

§. VI. Candida hæc gestorum expositio offendere neminem poterit, neque me de aliquo in Religione errore reddere suspectum. Obsessos a diabolo homines multos fuisse, ex sacris evangeliis, & Apostolorum Actibus, certus novi, multos quoque prioribus Ecclesiæ sæculis, Sanctosque numerosissimos, virtute dæmones ejiciendi claruisse. Tandem nullus dubito, quin hinc inde adhuc dum tales habeantur. Hinc veneror preces, exorcismosque Ecclesiæ, quibus illa utitur singula vice, qua sacrum Baptismatis Sacramentum Cathecumenis, Infantibusque confert, & veris applicat energumenis. Est hæres illa summæ benignissimi Servatoris nostri in dæmone potestatis: hanc ipsi ut sæpe prius, ita jam-jam in cœlum adscensurus, ad mundi usque finem tradidit: *Dæmones ejicient. Marci Cap.* 16. At vero hominum vafrorum malitia tanta est, ut & fingant se dæmones obsessos esse, & venerandas Ecclesiæ ceremonias venerandosque Ecclesiæ Ministros, ludibrio exponant. Hoc porro prævertere, decus servare Religionis sacratissimæ, sacrorumque ejus Ministrorum, cujusque, ni fallor, Catholicæ suæ Religionis splendorem amantis, omnino est. Hæc sola me ratio compulit, ut a tot retro annis ea mihi indicia compararem, quibus verane res

res, an ficta esset, probe interstinguerem: quo demum modo & vere a dæmone obsessi Ecclesiæ traderentur curæ, & imposturæ convincerentur personati. Neque rem video dedecentem Medicos esse, quod, cum officio teneantur fraudulentos fictosque morbos a veris discernere, idque revera per certa tentamina præstent, eadem quoque tentamina in usum apud dæmoniacos vocent, ne sceleratissimi homines Deum, Religionemque vituperent. Profecto nullus video, quod ob id oporteat, liceatve in Medicos stomachari. Si de autoritate Ecclesiæ actum esse, quando supremus Senatus, idque Medicorum opera, causam *Marthæ Brossieriæ* dijudicabat, non minus ignari, quam fervidi Ecclesiastici clamitabant, profecto *Clemens VIII.* summus eo tempore Pontifex, sic non censuit, etsi *Martham* jam *Romæ* se sistentem, examini Ecclesiastico submittere potuisset. Attamen si Viri Reverendi, quos ob Religionis cultum, morumque Sanctimoniam, veneramur, hoc nostrum tentamen male ferant, lubenter id mittimus, illisque reddimus; modo cum hasce regulas, tum quas ipsis industria, usus, ac Religionis amor, ultra suggerent, accurate, patienterque in usum vocent. Nihil enim, nisi harum regularum neglectus, in causa fuit, ut hæc mihi demandata provincia sit. Maxime optandum foret, ut ad sacras Ædes, ad quas pia plebs convolare peregrinabunda consuevit, legionesque dæmoniacorum conduci undique solent, debita tentamina Viri venerandi præmitterent; ne profanarent istiusmodi personati homines, neve Ecclesiæ ministrorum imperitiam, simplicitatemque, false riderent, dum in Miraculorum Diariis postmodum nefandum suum vident sacrari vaframentum.

Finem capiti impositurus, duas me morari quæstiones percipio, quæ quidem responsionem vix mererentur; eandem tamen cum multorum animis alte irradicata videantur, omnino poscunt.

Prima eorum est, qui propter frequentes imposturas sta-

ſtatuunt neque hodi exiſtere, quos obſideat, diabolus, neque olim extitiſſe: cunctas ſcilicet curas dæmoniacorum enarratas morborum quidem mirabilium, at vero præternaturale nihil habentium, curationes fuiſſe, quam ſententiam eruditis jam olim, maxime vero hoc tempore Viris, operum mole notis, vehementer placere video.

Hos porro primum rogo an admittant revelationem, nec ne? Hanc ſi non admittant, eos plango, non negantes diabolicam obſeſſionem ratus, niſi quia ſuo Materialiſmo infatuati, pneumatologiam omnem rident. His mentem ſanam apprecati, eos volumus, qui admittunt revelationem, eoſdemque precor, ut depoſita præoccupatione, Sacra Evangelia cuncta pervolvant diligenter, notamque ad illos affigant, qui dæmoniacorum meminerunt, locos: centenario plures ejuſmodi notabunt, qui ſincere, neque præoccupate, conſiderati, non permittent unquam illis ut ad non præternaturales morbos has referunt dæmoniacorum Hiſtorias. Videbunt dæmones id effatos, quod homines, quos obſidebant, ignorabant. In principio certe ignorabat Iſraelitica gens Jeſum, & Meſſiam eſſe, & Dei Filium; utrumque Diaboli homines obſidentes, ultro fatebantur. Ubique curationes morborum ab illis dæmoniacorum diſtinguuntur, diſtincteque enarrantur. Quin & in gloriam ſuam intraturus Servator, in ultimo ſuo ad Apoſtolos Diſcipuloſque ſermone, *Marci* 16. *cap. Signa autem eos*, inquit, *qui crediderint, hæc ſequentur; in nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, & ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit: ſuper ægros manus imponent, & bene habebunt.* Apoſtolorum igitur eorumque, qui ipſis prædicantibus fidem amplexuri erant, diſtincta poteſtas fuit in res diſtinctas; quæ poteſtas & hic, & in tota evangelica Servatoris hiſtoria, tam diſtincte ſeparatur, ut qui voluerit præfracte negare, & morbos curare, & dæmonem expellere, res diverſas eſſe, affirmare neceſſario

ſario quoque debeat donum linguarum, veneniquè immunitatem, neque a curatione ægrorum, neque a diaboli expulſione quid ſeparatum eſſe, licet hic quadruplex, æque diſtinctiſſima inter ſe poteſtas promitti videatur; quo quid dici abſurdius poſſit? Dolendum profecto in pyrrhonico hoc ſæculo & plurimam gentis eruditæ, revelationem credentis, turbam in abſonam hanc opinionem abire, & vel hac ipſa ſe doctiorem, ſe ſacrorum librorum intelligentiorem, eſſe opinari.

Quæſtio altera eorum erat, qui mirentur id nunc aſſeri, quod quantumcumque olim frequens diaboli obſeſſio fuiſſet, ea tamen nunc inter rariora ponatur; dum interea illi minime cauſam capiant, cur rarum hoc nunc foret, quod frequens olim: hominum nunc eandem quam olim conditionem eſſe, eandemque Diabolorum & malitiam & poteſtatem: videri proinde ſibi & præproperum nimis eſſe hoc de raritate obſeſſionis dæmoniacæ aſſertum, & quæ ad impoſturam detegendam ex hac aſſertione laudantur, temeraria.

Hos primum rogatos volo, quo demum argumento probent, quod olim in rerum natura contigerit, id perennare, quandiu eadem rerum natura perſtet, oportere? Utique non ex revelatione, minuſque multo ex obſervatione, id probabunt. Et in divinis rebus, & in humanis, non idem perpetuo apparet Providentiæ ordo. Donum linguarum, donum Prophetiæ, donum ægros impoſita manu, alˈave actione, curandi, communia in primitiva Eccleſia erant, jam vero rariſſima obſervantur. Quid lepra communius Judæorum? ſcatent ea veteris novique Teſtamenti Codices: uti dæmoniacorum hiſtoriam Evangelium refert, ſic & leproſorum; interea dum noſtro ſæculo pene ignotus morbus, niſi hinc inde apud Indos ſit. Ergo nihil ſolidi ejuſmodi argumenta habent. Pro omni autem reſponſo ſufficit detecta impoſtura; ita ut velimus, nolimus, paucos noſtra, paucos Patrum noſtrorum memoria extitiſſe, quos obſederit dæmon ultra fateamur.

AP-

APPENDIX.

DIE 20. *Aug.* 1773. fatalis contigit casus ad Paludem prope *Danubium*, in loco, quem *Thabor* vocant; qui cum ad argumentum, quo toto capite secundo hujus Operis occupabamur, mirifice faciat; typis autem illo jam edito contigerit, necessario hic memorandus est.

Adolescens 16. annorum, multis ab annis valetudinarius, pertinaci laborans diuturnaque scabie, piscatus hamatilis adeo immodicus, ut ob eundem pridie vapulasset; denuo hoc die, hora decima antemeridiana, vento procellosissimo, in vicina Palude, binis tribusque pedibus haud profundiore, hamans, ab altiore amne pronus in aquam incidit, idque in acutum abruptumque veteris hujus paludis aggeris palum. Emersit, vociferatusque est. Vidit, atque audivit eum, præteriens femina, quæ auxiliari cum sarcinata non posset, in opem vicinos compulit hortulanos. Convolantes undique hi, oblongum, quem casu reperiunt, asserem luctanti cum aquis porrigunt, quo arrepto eum in continentem ducant; at vero ille genubus tenus tenaci limo immersus, expedire non potuit se. Nonnullis interea vicino in horto uncum quærentibus, altius infigitur limo Adolescens, submergiturque. Horæ, ut credunt, quadrante submersum, uncis vesti infixis, in continentem trahunt; signa vitæ nulla edentem, in altum elatis pedibus quatefaciunt; & spumosam quidem aquam ore naribusque, ut putant, profluam vident; sed ne vel minima vitæ superstitis signa. Ad hæc vicini suburbii *Leopoldini* Balneator quæritur, qui quo pernicior adsit, currus, junctis raptim equis, mittitur. Ejus vero loco duo prodeunt tirones, qui vix conspecto corpore, & se-

& feros fe vocari muffitant, & neque aut venam tundi, aut alia præfidia artis admoveri ultra poffe contendentes, fe fubducunt.

Elapfo tandem bihorio in noftrum Nofocomium Corpus conferri jubet Loci Judex. Mox confpicitur finiftro in Bregmate, notata jam a Chirurgiæ tyronibus, contufio, atque Epidermidis feparatio. Calefacto protinus in lecto variis & rebus, & modis, fricatur: ex vena Jugulari dextra fanguis mittitur, qui rapidus principio, moderatus poftliminio, unciarum X. copia profluxit, tenuiffimus, nigrefcens, mora bihorii fubnigra aqua præcipitata excolor, ad ignem more albuminis ovi coagulatus. Reliqua Artis præfidia, quemadmodum *Tomo I. Rat. Med. cont. part. II.* traduntur, ordine admota funt, aft vero, ut facile prævideramus, incaffum. Agitato fub experimentis corpore, ore ac naribus multa fpuma profluxit, œfophago, ut leviter eodem in fectione vulnerato conftitit, oriunda: imo etfi ex afpera arteria prodiiffet, fpumæ duntaxat, fi qua affuiffet, portio quædam prodiiffet. Galli enim noftri fcriptores fua fpuma evacuari fic Pulmonem non poffe, evidentiffimis experimentis demonftrarunt.

Die 21. *Aug* ad 7. mat. Cadaver luftravimus a pectore orfi, ne quid mutaretur in pulmone. Pulmo liber uterque. Aorta, vena cava, fuperioreque trachæa, ne quid efflueret, probe ligatis, tum & feparato a Diaphragmate pericardio, eximebantur cum corde pulmones. Nulla in Trachæa aqua fpumofa, nulla in bronchiis, nulla in Loborum, quos numerofas in taleolas divideramus, vel minima portione: neque feri fpumofi quidquam perfciffione tantummodo non prodibat, fed ne forti quidem preffione; nihil enim hac, nifi fanguis exprimebatur. Porro multus inerat aer illis, irretitufque fic, ut ex quibus expreffus fanguis fuiffet, partes, ne poft horas quidem confiderent, bullas modo fub externa tunica preffione formantes: quod pulmonis emphy-

emphysema non a submersione, verum ab antiquiore hujus visceris in sua cellulositate dispositione, explicandum est. Ex variis scriptoribus hoc pneumonicum Emphysema in hominibus non demersis, una cum magna ex hac membrana aerem explodiendi difficultate, adnotavit *Ill. Van Swieten* in cap. *Boerhaavii de Hydrope ad* §. 1220.

In Corde, vasisque majoribus, cruor nigrescenti similis aquæ. Intestina singula inflammata. Colon, postquam ex sinistri Ilei cavitate emersisset, quinque flexus ingentes, antequam in rectum abiret, formabat. Et inflammatus pone pylorum Ventriculus.

Ad os bregmatis lævum, tegumenta inter ac pericranium, ea scilicet plaga, in qua læsionem externam videramus, inventa Ecchymosis est, multaque pericranii rubedo. In Encephalo ambæ quidem meninges ad cerebrum universum rubebant, verum præterea in ipso contuso loco multam rubri, nigrescentis, tenuisque sanguinis ecchymosin inter sese mutuas continebant. Ventriculorum parietes copiosis vasculis, iisque rubris, scatebant.

Hæc igitur anatome nos docet primo: licet in cadavere patuerit invincibilis causa mortis, quia tamen hæc ante anatomen ignorabatur, Chirurgiæ profecto tironibus, quantum ab ipsis res pependerit, imputandam esse mortem; quia quidquid in eo casu agendum est, & a Magistro Discipuli tenent, (& lingua vernacula conscriptum de hac re libellum, dono Augustæ, possident Magistri omnes; quem & communicare exponereque Discipulis lege jussi sunt. Sin vero plane rudes in hoc negotio hi fuerint, pars culpæ multa redundat in Magistrum, quod nec libellum communicaverit cum illis, nec exposuerit, nec si potuerit, in auxilium accurrerit.

Secundo: ut Canes meos mittam, jam hic hominum Demersorum alter est, cujus caruerint aqua pulmones:

huic

huic autem præterea apoplexiæ extitere in encephalo causæ. Ponamus hanc historiam vel nocte, vel saltem nullis præsentibus contigisse testibus, & Cadaver tandem inventum jussu lustrari Magistratus. Qui ejus sunt, quam refutare conatus sum, sententiæ, cum in Anatome & vacuum inveniant sero spumoso pulmonem, & haud contemnenda mortis violenta manu illatæ, indicia, Magistratui referent meridiana luce clarius esse, quod hic juvenis morte violenta prius peremptus fuerit, antequam præcipitatum corpus in paludem sit; quo quid unquam a veritate alienius? interim Magistratus amplissimus, Magistratus Lugdunensis exemplo, in homicidas severe inquiret, in carcerem suspectos conjiciet, ad eosdemque convincendos artificia consueta admovebit. Si quis, quam inanes hi, quam arduo, quamque periculosos, cum Judici concilient, tum accusatis, labores, mature perpendat; an gravari, mirarique possit, me quavis oblata occasione Gallicanæ sententiæ urgere perniciem?

At vero totum hoc meum argumentum negotio se facili confodere posse, hujus sententiæ Autores forte arbitrabuntur, Adolescentem meum submersione neutiquam vel ob id periisse rati, quod e gurgite in sublime emersus, vociferatus sit, oppletum proinde aqua habere non potuerit pulmonem. Hinc eum videri non submersione, sed fluente paulatim tusis de encephali vasis sanguine, ex cerebri oppressione vere apoplecticum periisse: quodque proinde aqua spumosa vacuus deprehensus ejus pulmo sit, mirabile non esse.

Profecto multam mihi hic illi suppeditant disserendi materiem. Sed iisdem in *Appendice* respondere opportunam non videtur, ne ex Appendice novum succrescat voluminosumque opus. Hinc id, quod contendunt, ipsis impræsentiarum omne dabo; modo ex datis concedant necessariam consequentiam.

Sci-

Scilicet, ſi hic Juvenis, nemine teſte, incidiſſet in paludem, atque elapſis aliquot diebus inventus, Legali examini fuiſſet ſubjectus, ipſi hi, quos veneror, Viri, neceſſaria lege pronunciare debuiſſent *primo*, mortuum illum præcipitatum in aquam fuiſſe, cum omni prorſum aqua ejus pulmo vacaret: *ſecundo*, ex viſis atque repertis in Capite eundem fuiſſe violenta morte peremtum, priuſquam præceps in aquam datum fuiſſet Cadaver. Reddentes itaque caſum hunc illi ſuæ *Claudinæ* conſimilem, argumenta profecto fortiora ad hanc concluſionem in iſto, quam in illa haberent. Interim Hiſtoria noſtra, tot teſtibus pleno in die viſa, atque audita, hanc concluſionem non minus damnoſiſſimam, quam falſiſſimam eſſe, omni ex parte toties jam oſtendit. Quocumque igitur modo exponere hanc hiſtoriam contendunt, eam ſententiæ ſuæ deſtructricem ſemper inveniunt.



INDEX

INDEX CAPITUM

QUÆ IN TOTO OPERE CONTINENTUR.

In Tomo I.

CAPUT I.

De Diæta ægrorum. Pag. 9.

CAPUT II.

De medicamentis in morbis acutis. 14.

CAPUT III.

De aere, decubitu, sessione, aliisque circa ægros moderandis. 22.

CAPUT IV.

De diebus criticis, & crisibus variis. 27.

CAPUT V.

De urinis. 36.

CAPUT VI.

De sanguine humano. 38.

CAPUT VII.

Quædam Anatomica. Pag. 51.

CAPUT VIII.

De vi Electrica. 60.

CAPUT IX.

De Variis. 64.



In Tomo II.

CAPUT I.

De Methodi Hippocraticæ, Sydenhamianæ, ac Boheraavianæ, præstantia. 75.

CAPUT II.

De generatione puris. 78.

CAPUT III.

De Variolis. 93.

CAPUT IV.

De Herniis. 100.

CAPUT V.

Nonnulla de Tympanitide, & Ileo morbo. 103.

CA-

CAPUT VI.

De nonnullis infortuniis nostris. Pag. 113.

CAPUT VII.

De Polypo. 122.

CAPUT VIII.

De singulari modo respirationis, & motus cordis. 126.

CAPUT IX.

Quædam de pulmone innatante aut subsidente in aqua. 133.

CAPUT X.

De supputando calore corporis humani. 134.

CAPUT XI.

De vario tumorum genere. 145.

CAPUT XII.

De mira variorum medicamentorum efficacia. 150.

CAPUT XIII.

De Machina Electrica. 159.

In Tomo III.

CAPUT I.

De morbis malignis. Pag. 171.

CAPUT II.

De Colica Pictonum. 201.

CAPUT III.

De sanguine humano, ejusque calore. 220.


CAPUT IV.

Experimenta in Calculosis, & de calculo varia. 230.

CAPUT V.

De virtute singulari quorundam Medicamentorum. 246.

Quæstiones sæpius propositæ super methodo inoculandi Variolas. 271.



In Tomo IV.

CAPUT I.

De Febribus Malignis dictis. Pag. 1.

CA-

CAPUT II.

De Aneurysmate. Pag. 13.

CAPUT III.

De Tympanitide & Hydrope cystico varia. 38.

CAPUT IV.

De Coxario Morbo. 73.

CAPUT V.

De Apoplexia & Nervorum morbis. 92.

CAPUT V.

De Sanguine & calore humano. 110.

CAPUT VII.

De singulari quorundam medicamentorum virtute. 124.

CAPUT VIII.

De Viribus Electrinis. 133.

In Tomo V.

CAPUT I.

De febribus cum exanthematibus, quæ Petechiæ & Miliaria vocari solent. 9.

CAPUT II.

De Hydrope, & Tympanitide. Pag. 24.

CAPUT III.

De Hydrope pectoris. 39.

CAPUT IV.

De Epilepsia & convulsionibus. 60.

CAPUT V.

De calculo, uva ursi, Lithontripticis dictis. 71.

CAPUT VI.

De Aneurysmate. 90.

In Tomo VI.

CAPUT I.

De Cardialgia chronica. 7.

CAPUT II.

De vario Hydrope ac tumore abdominis. 21.

CAPUT III.

De Hydrope pectoris. 37.

CAPUT IV.

Problemata, & difficultates. Pag. 46.

CAPUT V.

De Calculo vesicæ urinariæ, & Lithotomiæ. 78.

CAPUT VI.

De Cranii ustione in pertinacioribus capitis vitiis. 106.

CAPUT VII.

De peculiari quorundam medicamentorum virtute. 125.



In Tomo VII.

CAPUT I.

De Aneurysmate externo spurio. 7.

CAPUT II.

De Aneurysmate vero. 35.

CAPUT III.

De Hydrope cystico, & Hydatidibus. 51.

CA-

CAPUT IV.

De Intestino in Inguine perforato, & excrementis inde foras expulsis. 71.

CAPUT V.

Varia. 90.



In Tomo VIII.

CAPUT I.

Varia de sudoribus in morbis acutis. 5.

CAPUT II.

Varia de crisi morborum. 13.

CAPUT III.

De morbis acutis cum Petechiis, aut miliaribus. 48.

CAPUT IV.

Problemata de Scorbuto. 87.

CAPUT V.

De Machina ad curandum Ileum desperatum. 106.

In Tomo IX.

CAPUT I.

Sistens Anatomicas aliquot sectiones, una cum brevi prægressi morbi historia. 5.

CA-

CAPUT II.

Siſtens pathologiam prioris capitis diſcuſſionem. 26.

CAPUT III.

De Miliaribus. 45.

CAPUT IV.

De ſyſtemate Halleriano. 49.

CAPUT V.

De morbo Ileo, & proſecutio experimentorum cum Machina adaptata ad eundem, etiam deſperatum, ſolvendum. 92.

CAPUT VI.

Varia. 105.

CAPUD VII.

Nonnulla de inſitione Variolarum. 116.



In Tomo X.

CAPUT I.

De Colica Pictonum. 11.

CAPUT II.

Pathologia priorum Anacephalæoſis. 44.

CAPUT III.

De Tetano. 60.

CAPUT IV.

Dissertatio de Tetano, ejusque speciebus, necnon de curandi eum methodo, a primis medicinæ sæculis, in nostra usque tempora observata. 67.

CAPUT V.

De febre miliari, ac petechiali. 95.

CAPUT VI.

Varia. 128.



In Tomo XI.

CAPUT I.

De Febribus intermittentibus. 5.

CAPUT II.

De morbis Acutis. 44.

CAPUT III.

De Ileo morbo. 60.

CAPUT IV.

De vario Hydrope. 94.

CAPUT V.

Anatomica quædam, & expositio Tabularum. 151.



In Tomo XII.

CAPUT I.

Hippocratis de pulsu notities, & doctrina. 5.

CAPUT II.

Prosecutio Historiæ pulsus ab Hippocrate, ad tempora nostra. 12.

CAPUT III.

De recentiorum Scriptorum circa pulsum observationibus. 43.

CAPUT IV.

De damno, quod a Neotericorum de pulsu placitis medicina patitur. 74.

CAPUT V.

De Lumbrico lato. 95.

CAPUT VI.

De variorum Medicamentorum virtute. 103.

CAPUT VII.

Finis quæstionis de sensibilitate, & irritabilitate. 118.

CAPUT VIII.

De Inoculatione Variolarum. 123.

CA-



In Tomo XIII.

CAPUT I.

De methodi Hippocraticæ præstantia in morbis acutis. 9.

CAPUT II.

Causa exponitur, cur methodi nostræ, a Macbridio *laudatæ, explicationem, æque physiologicam, quam pathologicam, admittere non possimus: quæ ipsa causa, utpote ad plures quæstiones Theoreticas, Pathologicas, atque Clinicas, spectans, necessariam reddit earundem quæstionem pertractatianem.* 45.
Sectio I. ejusdem Capitis II. 50.
Sectio II. 52.
Sectio III. 56.
Sectio IV. 58.
Sectio V. 67.
Sectio VI. 78.

CAPUT III.

De auxiliis præstandis his, qui aut in aqua, aut aliis de causis, suffocatis, sive morti propinqui videntur, sive veram mortem simulant. 91.

CA-

In Tomo XIV.

SECTIO I. CAPUT I.

De iis, quæ in med. nonnunquam improvisa contingunt, ac consuetis legibus contraria. 8.

SECTIO I. CAPUT II.

De necessitate notandi exacte viscerum in cadavere situm, sive a natura, sive a morbis natum. 41.

SECTIO I. CAPUT III.

De inflammatione ac dolore membranarum. 43.

SECTIO I. CAPUT IV.

De febre verminosa. 67.

SECTIO I. CAPUT V.

De determinando tempore quo perdurare inflammatio non modo soleat, sed & possit. 93.

SECTIO II. CAPUT I.

De Peste, & cur de illa scribendum sit. 99.

SECTIO II. CAPUT II.

De difficultate pestem interstinguendi ab aliis consimilibus illi morbis. 105.

SECTIO II. CAPUT III.

De Pestis definitione. 112.

SECTIO II. CAPUT IV.

De iis, quæ ex Cap. II. & III. concludi oporteat. 137.

SECTIO II. CAPUT V.

De petechiis & sudatoria in peste cura. 147.

SECTIO II. CAPUT VI.

De venæ sectione in peste speciatim. 160.

SECTIO II. CAPUT VII.

De scarificatione pestiferorum. 173.

SECTIO II. CAPUT VIII.

De Hidragoga methodo. 181.

SECTIO II. CAPUT IX.

Variæ quæstiones & opiniones circa pestem recens & examinans. 187.

In Tomo XV.

CAPUT I.

Historia auxiliorum, quæ Submersis, Suspensis, Suffocatis, atque Infantibus mortuis, ut videtur, in lucem missis, adhibenda sunt, quousque jam promota per Europam *sit*. Pag. 1.

CAPUT II.

An in Criminalibus *certissima signa extent, quibus instructus Magistratus infallibiliter discernat vivusne quis, an mortuus, in undas præcipitatus sit?* Pag. 12.

CAPUT II. SECTIO I.

Historia, hujus Disquisitionis origo, argumentorumque, ex eadem formatorum, examen. Pag. 13.

CAPUT II. SECTIO II.

Sextuplex *Anatome Corporum laqueo Strangulatorum, quorum varia phænomena Anatome describit, variumque Experimentorum effectum*. Pag. 21.

SE-

CAPUT II. SECTIO III.

Sextuplex *hominum Anatome*, *quorum*, *Acutis Chronicisve defunctorum*, *Pulmones* aqua spumosa *scatuerunt*: *sexies in Nosocomio*, *semel in Urbe*. Pag. 31.

CAPUT II. SECTIO IV.

Spuma Pulmonum frequentissima ab aliorum Anatomicorum experientia in iis, *qui mersi non fuerint*, *demonstratur*. Pag. 44.

CAPUT III.

De Hydrope vero ipsius Pulmonis. Pag. 49.

CAPUT IV.

De Dæmoniacis. Pag. 60.
Appendix. Pag. 75.

FINIS.

